



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.

DISSERTATIO JURIDICA,
DE
**CERTIORATIONI
JURIUM
RENUNCIANDORUM.**

Von
Sergewisserung der Rechte
deren man sich begeben soll.

QVAM
PRÆSIDE
DN. JOH. SAMUELE STRYKIO
JCTO, SERENISS. VIDUÆ SAXO-ISEN. CONSIL. AUL.
ET PROFESSORE JURIS PUBL. ORD.

In Celeberrima Regia Fridericiana
A. 1702. Mensē April.

RESPONDENDO PROPUGNAVIT
FRIDERICUS ZEIDLERUS,
ADVOC. ORD. MARTISB.







C A P. I.

DE

CERTIORATIONIS FVNDAMENTO ET NECESSITATE.

CONSPECTVS.

- Quid sit certioratio?* n. 1. 2. *Necessitas certiorationis ostenditur.* 17. 18.
- Quomodo in iure capiatur?* 3. *Et probatur ex Constitutione Maximiliani I. Imp.* 19. 20.
- Quomodo in praesenti differt.* 4. *Etiamsi in iudicio peractum negotium.* 21. 22.
- Certioratio praesupponit ignorantiam iuris, quae hodie frequens.* 5. *Facienda certioratio a iudice.* 23. 24.
- Inconueniens est iura non vernacula lingua scripta esse.* 6. seqq. *Aut, praesente eo, ab alio.* 25. 26.
- Exemplum Caligulae, cuius leges non potuerunt legi.* 10. *Item a Notario, qui instrumentum conficit.* 27. 28.
- Egregius locus Praschii.* 11. *Et absente Notario a parte altera.* 29. 30.
- Regulariter facienda certioratio.* 12. 13. 14. *Concedendum etiam renuncianti, post certiorationem, spatium deliberandi.* 31. 32.
- Iuribus in vernaculum translatis, an adhuc opus sit certioratione.* 15. 16.

Quemadmodum res clara non indiget certioratione, & verba perspicua nulla opus habent explicatione, ita nec me adstringet vlla necessitas, vt secundum plerorumque morem receptum circa etymologiam verborum sim sollicitus, cum non possit non omnibus de sensu horum
 2 verborum constare. Sufficiat hic binis verbis indigitasse, quid per certiorationem intelligam, scilicet eiusmodi actum, quo rei cuiusdam alias ignotæ notitiam alicui faci-
 3 mus. Hinc quod alias manifestare, indicare, denunciare dicimus, id per verbum certiorare sæpissime exprimitur in iure nostro. *Vid. L. 21. §. 2. ff. qui testam. fac. poss. L. 5. §. 1. ff. de Condiēt. caus. dat. L. 1. §. 33. ff. Depos. L. 36. §. 1. ff. de Pign. act. L. 3. §. 6. ff. de Hom. lib. exb. L. 1. §. 4. ff. Si quis amissa caus. testam. L. 5. pr. ff. quis ordo in poss. L. 1. §. 1. ff. de Act. Empt. L. 1. §. 1. ff. de Ædil. Ediēt. L. 20. §. 11. ff. de hered. 4 petit. L. 1. §. ult. ff. de Eo qui pro Tut. l. Curat.* Vnde cum satis constet, quid in genere dicatur certioratio, facile simul patet, quid sit certioratio iurium renunciandorum. Est enim communiter vsitatum in contractibus, vt partes iuribus, alias sibi competentibus, renuncient, & interdum quoque eiusmodi renunciationem ipse iudex exigat, quod si ergo ab iis hoc exigatur, qui ignorant iura, tum ante omnia requiritur, vt ista beneficia, quibus renunciandum est, probe illis explicentur, quo sciant, cui iuri nunc renunciare debeant, & hoc ipsum vocatur certioratio, circa quam vnice hoc loco erimus solliciti, cum non de omni certioratione, quatenus denunciationem significat, sed tantum de hac, quæ renunciationem iurium antecedere debet, agere animus sit.

5 Vti autem certioratio est iuris ignorati explicatio & declaratio, ita eius fundamentum in eo consistit, quod a pleris-

plerisque, quæ in iure prodita sunt beneficia, ignorentur. Quod si enim per se omnes intelligerent iura sibi competentia, utique haud opus esset certioratione: quæ eo magis hodie necessaria, quia, etiamsi vellent, non possent tamen omnes iurium notitiam consequi, cum iura nostra a Romanis petita lingua etiam latina conscripta sint, quam paucissimi intelligunt. Sane si rem accuratius considera- 6 mus sine vilo partium studio, non potest non absurdum videri, leges secundum quas omnibus viuendum est, eo tamen idiomate scriptas, cuius notitiam paucissimi habent. Quid magis in confesso est inter omnes, quam leges tum demum vim obligandi consequi, cum sunt promulgatæ? Promulgatio vero annon ob eam causam fit, ut in omnium notitiam leges perueniant? Iam autem idem erit non promulgari legem, aut promulgari in ea lingua quam paucissimi intelligunt. Equidem leges Roma- 7 nas latine scriptas fuisse, apud Romanos non fuit inconueniens, quorum vernacula lingua erat latina: Sed Germanos latinis legibus uti, hoc vero est a sana ratione alienum. Agnoscimus hoc ipsi tacite: cur enim statuta provincia- 8 lia, cur Ordinationes Ecclesiasticæ, Politicæ, Processuum &c. Germanica & non latina lingua conscribuntur? Scilicet, quia non diffiteri possumus, leges non tantum eruditis, sed & indoctis scribi, & sic ea lingua scribendas, ut intelligi ab omnibus possint. Ita apud gentes alias obser- 9 uari constat, ut eas etiam leges, quæ ab aliis gentibus petunt & accipiunt, in vernaculam linguam transferant. Quod dum non facimus etiam, eandem incurrimus cen- 10 suram cum Caligula, qui leges minutissimis literis scriptas, angustissimo proposuit loco, ut legi non potuerint; quod merito improbatum legimus apud Suetonium *in vita Calig.* Quod ne videar temere dixisse, confirmabo ver- 11

bis Ludouici Praschii, qui in egregio libello suo *de ICto vero & personato* §. 17. hac de re ita differit: *Nibil certe videtur dictu mirabilius. Omne enim ius eatenus obligat, qua intelligitur: nec lex habetur, nisi promulgata; nec promulgata, nisi ad notitiam hominum sufficienter, atque adeo linguae vernaculae remigio, deducta. Caligulae crimini datur, quod leges minutissimis literis praescriptas angustissimo proposuerit loco, ne possent legi. Quantum interest, minutis an peregrinis lex sit scripta literis? Notabilis profecto incuria tum nescientium ius, quo viuunt, tum voluntatem suam sciri ab omnibus non desiderantium; nec facientium in foro quod in ecclesia non nulli faciendum sibi putauerunt. Ablegabis ignorantes ad ICtos ex L. 9. §. 3 ff. de iur. & fact. ign. ut cui facile sit scire, ei detrimento sit iuris ignorantia. Sed primum ad omnes omnis generis leges hoc posset trahi. Et quid si deerit, quem consulas? Quid si temporis aut loci ratio hoc non ferat? quid si pro consilio argentum ille expetat, quo peraeque indigeas? quid si compendii sui causa, aut per ignorantiam te fefellerit; aut diuersum ab aliis senserit. Alterius consilio standum aut cadendum tibi erit, alterius oculis videndum misero, & sequendum ignoranti & inuito, quo trahet consultor? Denique ICti officium in eo magis positum videtur, ut ius ambiguum explanet, quam ut certum subiiciat: & melius esse lingua patria concipi leges omnium gentium testatur consensus.*

12 Ex qua iuris nostri ratione facillime iudicari potest de sententia eorum, qui existimant, regulariter renunciantem certiorari non debere, quam defendit Paulus Galleratus *Tract. de Renunciat. Tom. I. l. 3. c. 10. n. 3.* Cojus rationes reddit sequentes. (1) Quia omnes tenentur scire iura & leges (2) is qui ignorat leges, dicitur esse in lata culpa, utpote qui ignorat id, quod omnes sciunt, vel sal-

tem scire debent (3) durum esse admittere, vt semper renuncians certiorari debeat. Verum his non obstantibus 13
puto regulariter necessariam esse certiorationem, quia
notum est regulam ab eo, quod vt plurimum est, forman-
dam, & a potiori faciendam denominationem, ast maior
hominum pars ignorat iura, hinc vtique si hi iuribus re-
nunciare velint, præmittenda certioratio. Neque ratio- 14
nes Gallerati aliquid in contrarium euincunt: nam (1) non
possunt hodie leges ab omnibus intelligi, cum in peregrino
idiomate conscriptæ, cuius paucissimi gnari sunt, quis
enim scæminas, rusticos, milites, ac ciues omnes obligare
posset ad discendam latinam linguam, quin potius hoc
tenderet in manifestum detrimentum Reipubl. aliter se res
habebat in Romano Imp. vbi hæc lingua erat vernacula:
hinc (2) non est culpa ignorare ea quæ scire non possu-
mus: nec (3) diuinare possum, in quo illud absurdum
consistat, contra vero absurdum esset imperitos admittere
ad renunciationem eorum iurium, quæ non intelligunt.

Verum etiam si consilium Praschii *num. 11.* adductum, 15
acceptetur publice, & iura Romana apud nos recepta in
vernaculam linguam transferantur, nunc vltterius quæ-
rendum, an certioratio nihilo secius quandoque necessa-
ria sit? Equidem adhuc verum manet quod *num. 5.* dixi, 16
tum non opus esse certioratione, si omnes, quid iuris sit,
intelligerent; ast cum tanta laboremus legum copia, quas
semper memoria tenere diuinitatis magis quam humani-
tatis sit, *L. 2. C. de V. I. E.* & plerique aliis curis & labori-
bus impediti perfectam earum notitiam habere non pos-
sint, imo & publicæ salutis ratio exigat, non omnes in Re-
publ. esse eruditos, vtique exinde sequitur, certiorationem
iurium adhibendam esse toties, quoties qui renunciare iis
volunt, eadem ignorant.

- 17 Ex quibus id nunc manifestum esse existimo, necessitatis omnino esse, ut, si quandoque certis beneficiis renunciandum sit a personis imperitis, eorundem certioratio præmittatur, ne hac ratione ex ignorantia sua damnum incurrant: Nam ita communiter concludunt Doctores: Ignorantiam omnem impedire renunciationem, neque hanc ad ignota & non cogitata extendi, nec Ignorantes posse dici renunciare, ac per consequens renunciationem non valere sine certioratione iuris, cui renunciatur. Paul. Galleratus *Tr. de Renunciat. Tom. I. l. 3. c. 9. per*
- 18 *201.* aliique Doctores ibidem citati. Hinc in Constitutione Maximiliani I. von Notarien *de Anno 1512. §.* Nachdem die Berwilligung 14. ita constitutum legitimus: Nachdem die Berwilligung und Meynung des der also vor ihm handelt und contrahiret, ein wesentlich und Substantial Stück ist desselben Contracts oder Handels, und aller andern Dinge, deren sich die Partheyen vereinigen, und überkommen, ob sie gleich von Gewohnheit dabey gesetzt würden; und dann solcher Consens und Berwilligung nicht gestreckt werden möge auf dasjenige, das einem nicht wissend ist, so erfordert die Nothdurfft, daß ein Notarius, vor ihm und den Zeugen, zum wenigsten Summarie erzehle und lese die Pacte, verzieht und jede Clausulen, darauf in Krafft und Macht der Handlung vor ihm geschehen gestellet werde, und den Consens und
- 20 Berwilligung drauf aussprechen lasse. Vbi quamvis Imp. non expresse certiorationem, sed tantum lectionem requirat, tacite tamen illa quoque comprehenditur. Ita enim haud dubie legendus contractus, & in eo factæ renunciationes (die Verzichte,) ut intelligant contrahentes, & sic si vel alter eorum, vel vterque clausulas communiter addi solitas non intelligat, quid aliud indicat Maximilianus, quam ut tum istæ clausulæ a Notario explicentur, cum
alias

alias de contrahentium consensu ei perfecte constare non possit. Hinc adeo necessaria est certioratio, vt nec iudicialis renunciatio valeat, si illa non præcesserit. Vt enim magnæ autoritatis sit, quod in iudicio peragitur negotium, cum id præsumatur rite & solenniter peractum, non tamen eo vsque valet, vt, quod de necessitate actum est, sola auctoritate iudicis suppleri possit. Præiudicium habet Meuius *ad Ius Lubec. lib. 1. tit. 5. art. 7. n. 125.* in causa Albrecht Hagemeisters contra Holsten Wittben, vbi pro auctore consulente quidem respondisse Facultatem iuridicam Rostochiensem refert, sed cum acta iudicialia ad Collegium Ictorum in Academia Wittebergensi transmissa fuerint, viduam absolutam esse testatur Meuius, & hanc subiungit rationem: *Iudicium enim solum non potest tollere vitium obligationis, aut supplere defectum personæ aut consensus.* Vt adeo assensum non mereatur Paul. Galleratus quando *c. 10. n. 14.* statuit, ob valorem iudicii non esse necessariam certiorationem in iudicio.

Cum vero ex his appareat, necessarium omnino esse, vt certioratio præmittatur, si personæ, quibus iura ignota sunt, veluti mulieres, renunciare quibusdam iuribus debeant, nunc videndum vterius, cuiam necessitas faciendæ certiorationis incumbat? Equidem si in iudicio peragatur negotium, vtique necessum est, vt iudex certiorationem faciat, Martini *ad Process. Saxon. tit. 43. §. 1. n. 225.* Cuius ratio non obscura est: Si enim iudici incumbit prospicere, vt omnia perfecte fiant, & transigentes plenissima sequatur securitas; si dolum & fraudes auertere debet, idque agere vt nemo inuitus iure suo priuetur; sane primo omnium inquirere tenetur, an etiam partes iura, quibus renunciare compelluntur, intelligant, & si contrarium deprehendat, imperitos certiorare obligatus erit. Quam-

uis non necesse sit, ut id ipse faciat, sed sufficere possit, si certioratio fiat in eius præsentia per Notarium Martini *d. l. ubi tamen quod ille addit, faciendum hoc esse per Notarium, qui obligationi testis hauri fuit*, fateor me non intelligere. Secutus est Martini, Meuium *ad Ius Lubec. Resp. l. qu. 2. p. 20. §.* ubi dicit: *Certioratio autem a Notario, qui bis obligationibus, de quibus iam agitur, non adfuit, fieri debet, prouocando ad Heringium tr. de Fideiussor. cap. 7. n. 474. seqq.* sed hic contrarium habet, asserendo Notarium, qui obligationi præsens est, teneri ad faciendam certiorationem, de quo deinceps. Deinde quæ ratio esse poterit, quæ a certioratione repellat Notarium, qui obligationi adfuit? Nihil aliud requiritur, quam ut renunciens certior fiat iuris sibi competentis, quod a quo intelligat, utique perinde est, nam *non pertinet ad substantiam certiorationis eo Notarii præsentia, sed sufficit ab alio quouis factam, dummodo mulieri innotuerit, quo iure fruitur. Nec enim aut ius exigit, aut rationi conuenit, ut Notarius necessario adhibeatur*: verba sunt Meuii *L. 7. Dec. 231.* Inde facile subsumere licet, si certioratio potest fieri a quocunque, etiam a Notario, cur non posset fieri ab eo Notario, qui ipsi obligationi adfuit?

27 Quod si autem actus non in iudicio, sed extra illud coram Notario celebretur, tum ulterius quæritur, cur incumbat certioratio? Resoluit hanc quæstionem Hering. *d. c. 7. n. 474. seqq.* ubi propositis rationibus dubitandi, quod videatur contrahentibus, quorum interest, hæc cura incumbere, tandem ipsi Notario, hanc clausulam instrumento subiicienti, id oneris incumbere subiungit, his verbis: *Idcirco tutius videtur, ut Notarius contrahentes edoceat, quæ clausula pro subiecta materia in hoc vel illo contractu opponi consueuerint, & antequam instrumentum conficiat, eos*
inter-

interroget, num & ipsi easdem in suo contractu adiici velint, nec non de singulis eos diligenter erudiat, imo & confectum instrumentum ipsis intelligibili voce prælegat, nec deinceps partibus integrum sit cavillari, eas clausulas appositas esse, se non intelligentibus, quid ageretur, ibid. n. 480. Vbi id tantum 28 addo, non modo hoc tutius esse, sed necessitatem ipsam illud exigere, secundum tenorem constitutionis Maximiliani I. Imp. supra n. 19. citatæ: Et adeo, si secus fiat, contractus pro firmo & stabili haberi non possit. An vero certioratio fiat in ipso instrumento, an in alio instrumento, perinde est. Vid. Gallerus *d. c. 10. n. 16.* Imo & viua voce factam esse certiorationem sufficiet.

Cum vero non omnes obligationes contrahantur coram Notario, sed pleræque priuatim fiant a contrahentibus, a quibus Iuris certioratio facienda, videndum. Sed hic per compendium dici potest: ab eo, cuius interest; hoc est, a contrahente altero in cuius gratiam facienda renunciatio. Huius enim causa hic agitur, inde non maius 30 ipsi præiudicium contingere potest, quam si contractus non firmo stat talo, sed facili negotio impugnari posse. Ac proinde omni modo curare tenetur, vt certioratio plenissime fiat.

Illud autem negligi hic non debet, maioris cautionis 31 gratia, sine quo ipsa certioratio posset reddi inutilis. Scilicet caueant & Iudex & Notarius & contrahentes, ne celeriter nimis procedant cum certioratione; sed tempus deliberandi sufficiens concedant illi, cui certioratio facta, vt secum perpendat, an huic iuri, nunc sufficienter explicato, constanter renunciare velit. Sæpe enim, tum, cum 32 agitur negotium, non satis rem perpendunt homines, sed se renunciasse iuri suo sine sufficienti præuia deliberatione prætendunt. Et sic vel ex capite doli, vel ob læsionem

infirmam, restitutionem quærunt, non sine fundamento. Ut adeo necessum omnino sit, his querelis ab initio mederi, magisque expediat sufficiens spatium alteri concedere, quam dubio litis euentui rem committere.

C A P. II.

DE

PERSONIS, QUIBUS FACIENDA CERTIORATIO.

CONSPECTVS.

- | | |
|---|---|
| <i>Transitus ad Cap. II. n. 1.</i> | <i>ratione, si cum consensu certioratoris renunciet mulier?</i> |
| <i>Femina non obligantur ex fideiussione 2.</i> | 14 15. |
| <i>Ratio. 3.</i> | <i>Certioratio facienda minoribus. 16. 17.</i> |
| <i>Nisi SCro Velleiano renunciauerit. 4.</i> | <i>An etiam pupillis 18. seqq.</i> |
| <i>Inde opus certioratione. 5.</i> | <i>Rusticis quoque necessaria est. 21. 22.</i> |
| <i>Quidam renunciat. extraiudicialem, etiam prævia certioratione, non admittunt. 6.</i> | <i>Annon etiam militibus facienda certioratio. 23. 24.</i> |
| <i>Eorum rationes. 7.</i> | <i>Omnibus facienda certioratio, qui iuro ignorant. 25.</i> |
| <i>Contraria sententia defenditur. 8.</i> | <i>Probatum rationibus naturalibus 26. seqq.</i> |
| <i>Et ad rationes respondetur. 9.</i> | <i>Et rationibus ex iure civili desumptis 30. seqq.</i> |
| <i>Mulier etiam certiorata pro marito intercedens non obligatur 10. 11.</i> | <i>Obstat, quod certis tantum personis ius ignorare permissum 37. 38.</i> |
| <i>Aliud iure Lubecensi. 12.</i> | <i>Respondetur, nulli nocet iuris ignorantia, si de da-</i> |
| <i>Et iure Saxonico. 13.</i> | |
| <i>An in Saxonia opus sit certio-</i> | |

- mmo vitando agatur.* 39.
40. 41.
- An hic differentia, utrum agatur de re amittenda, an de amissa recuperanda?* 42. 43.
- Neutro casu nocere ignorantiam iuris cum distinctione asseritur.* 44. 45.
- Hæc sententia probatur rationibus.* 46. 47.
- Legibus* 48. seqq.
- Respondetur ad textus qui pro communi sententia adferuntur.* 61. seqq.
- Nostro sententia in praxi recepta.* 68.
- Nec consensu doctorum destituitur.* 69.
- Concluditur, omnibus personis, qui ius ignorant, faciendam esse certiorationem.* 70.
- Etiamsi alias iura scire presumantur, si constet quod ignorent.* 71.

Vidimus in primo capite, quodnam sit fundamentum certiorationis, & quam necessaria illa sit, nunc ut ordine procedatur, inspiciendum est quibusnam facienda necessario sit certioratio. Vbi primum per exempla eundem erit, adducendo eas personas, quibus ex consensu omnium Doctorum necessaria est certioratio, quibus sententiam nostram subiiciemus, tentabimusque an generali regula totum negotium comprehendi possit? Primarium autem locum hic occupant feminae, quibus in 2 specie a legibus concessum est beneficium, quod ex Fideiussione obligari non debeant, idque vi S^Cti Velleiani, ex quo ipsis exceptio conceditur, contra quemcunque ex fideiussione agentem, *tot. tit. ff. & C. ad S^Ctum Velleian.* cuius ratio in eo posita est in S^Cto: *Quia eas virilibus officiis fungi, & eius generis obligationibus obstringi, non sit æquum* Lib. 2. ff. d. r. Circa cuius rationis valorem nunc non 3 critice inquirimus, quamvis quædam moneri possent, cum fideiubere non magis sit officium virile, quam alias se ob-

ligare; Videtur tamen ius civile naturali quadam ratione niti, quod mulieres facile ad fideiussiones persuaderi, ac ita iacturam bonorum ex leuitate incurrere possint. Hering. *4 tr. de Fideiussor. cap. 7. n. 390. seqq.* Vti autem variæ sunt limitationes huius regulæ, quarum XI. adducit Hering. *d. l.* quibus valide mulier ex fideiussione obligari potest, ita inter eas non postrema hæc est, quod tum obligetur, si SCto Velleiano sciens renunciauerit, totum enim mundum hoc seruare, quod mulier huic beneficio renunciare possit, *5* testatur Albericus *ad L. fin. C. d. r.* Verum cum nemo iuri ignorato renunciare velle præsumatur, & feminae vt plurimum specialia sua iura ignorent, inde & hanc renunciationem nullius momenti esse, nisi in specie mulier de beneficio SCti Velleiani, quale illud sit certiorata fuerit, constans doctorum est sententia, quos magno numero adducit Hering. *d. l. n. 473.* Gail. *l. 2. Obs. 77. n. 2. 3.* Paul. Gallerratus *tract. de Renunciat. Tom. II. Cent. I. Renunciat. 62. n. 18.* Etiam si generalis facta renunciatio sub clausula: *Allen ihr zustehenden Weiblichen Gerechtigkeiten* Martini *ad Process. Saxon. rit. 43. §. 1. n. 222.*

6 Quæ licet communis sit sententia, ab ea tamen diuortium fecit Bachou. *ad Treutl. Vol. 1. Disp. 25. tb. 4. lit. E. F.* existimans inuvalidam esse renunciationem mulieris extrajudicialem, etiam a sciente & certiorata factam, & hinc ea non obstante locum esse exceptioni SCti Velleiani. Ad datur Hering. *d. l. n. 467. seqq.* qui & alios Doctores adducit. *7* Quorum rationes sunt (1) quia eadem est leuitas renunciationis, quæ intercessionis, si quidem eo ipso decepta videtur, quod incogitanter renunciat; (2) quia SCtum non tantum in fauorem mulierum, sed ob publicam etiam honestatem introductum, vt sic indiscreta illa renunciatio locum habere non debeat. (3) quia leges de iudiciali renuncia-

nunciacione loquuntur: & (4) *L. 22. C. ad SC. Vellei.* iterata & post biennium repetita renunciatio exigitur. Verum non dubitamus eiusmodi renunciacionem, præuia⁸ certioratione factam, validam renunciare, etiamsi extrajudicialis fuerit nec sententia contraria mulieribus adeo fauorabilis est, quippe cum earum sæpe intersit, vt non plane a fideiubendo excludantur. *Dn. Schilter. Prax. iur. Rom. Exerc. 28. tb. 9.* Nec rationes adductæ alicuius momenti sunt ad (1) enim negatur, eandem intercessionis &⁹ renunciacionis esse rationem, vt ante *num. 7.* diximus: neque etiam decepta dici potest mulier, quæ non incogitanter renunciat, sed non facit incogitanter, quando satis de beneficio suo certiorata & tamen renunciat. Quod vero (2) ob publicam honestatem introductum SCtum dicitur, id nihil ad rem facit, nec enim læditur honestas per renunciacionem ex certa scientia & deliberato animo factam, quin potius honestum est, vt nemini inuito beneficium obtrudatur; nec indiscreta renunciatio dici potest, quæ facta certioratione ex discreto iudicio fit. Sed (3) falsum etiam est leges de iudiciali renunciacione agere, vti vel ex sola inspectione *L. ult. ff. pen. ff. ad SCr. Vellei. & L. 21. C. eod. tit.* constare potest, quos textus nisi per violentissimam interpretationem, ad renunciaciones iudiciales restringere non licet. Neque tandem (4) quidquam negotii facit *d. l. 22.* quæ de eo casu agit, si mulier post primam intercessionem, finito biennio, eandem cautionem repetierit, quod ex iterata intercessione teneatur; sed non agit de casu, si prima vice intercedendo huic SCto expresse & sciens renunciauerit, tum enim repetito consensu opus non esse, ex legibus adductis constat. Imo contrarius sibi est ipse Heringius dissentiens, fatetur enim ille *d. l. n. 450.* cum aliis Doctoribus, in hoc casu repetitæ scilicet

scilicet intercessionis, mulierem ne quidem de beneficio SCri certiorandam esse. Add. B. Brunnemann. *in Comment. ad d. L. 22. n. 4. in fin.*

- 10 Quæ vero hæcenus demonstrata sunt, valere mulierum intercessionem, si præuia certioratione, beneficio suo, siue in iudicio siue extra iudicium renunciauerint, illa ita intelligi debent, si intercesserint pro extraneo, limitationem enim patiuntur in intercessione pro marito facta, nam hæc nullatenus valet, siue *semel*, siue *multoties* huiusmodi *aliquid pro eadem re fiat*, siue *priuatum*, siue *publicum sit debitum*, vti verba habent *Autb. Si qua mulier C. ad SCr. Vellei.* Imo nec expresse, & sic nec certioratione accedente, huic beneficio in fauorem mariti renunciare posse vxorem, constans doctorum est sententia. Carpzou. *Iurispr. Rom. Germ. P. 2. const. 16. def. 1.* B. Brunnem. *ad Autb si qua*
- 11 *mulier. num. 2.* Cuius ratio in eo posita est, quod hic consensus nunquam præsumatur liber, sed vel blanditiis mariti, vel imperio eius extortus: vnde ni fallor est, quod Doctores pro marito incarcerato intercessionem admittant.
- 12 Brunnem. *d. l. n. 6.* Speciale itaque est, quod in iure Lubecensi admittatur intercessio vxoris pro marito, si præuia certioratione suo beneficio renunciauerit. *Ius Lubec. l. 1 Tit. 5. art. 7. ibi:* Wann sie ihrer fräulichen Berechtigkeitt erinnert, und sich derselben verziehen, so muß sie mit zahlen
- 13 helfen. *Meu. ad d. art. 7. n. 117. seqq.* Idem constitutum iure Saxonico *P. 1. const. 16.* vbi dicitur admitti debere mulierem intercedentem pro marito, si renunciauerit suo beneficio etiamsi non iurato facta renunciatio modo mulier sit, maiorennis, & cum consensu Curatoris in iudicio renunciauerit & tantum bona paraphernalia obligauerit, nam de bonis dotalibus intercessio pro marito nec in Saxonia valet. *Vid. Carpz. ad d. P. 1. const. 16.*

Non possumus tamen hic prætermittere sine nota il- 14
lud, quod ex Mollero tradit Hering. *d. c. 7. n. 513.* scil. in Sa-
xonia valere renunciationem SCri Velleiani etiam absque
vlla certioratione, si modo vxores viduæ, & virgines natu-
maiores autoritate suorum curatorum ac procuratorum
in iudicio beneficiis suis renuncient, vbi prouocat *ad d.*
const. Saxon. 16. Verum hoc est, quod hic effingi a Do- 15
ctoribus dicimus, citra legem & rationem. Primo enim
in constitutione Saxonica nullum reperiri verbum potest,
quod pro ea sententia faciat; quod autem ibidem non in
specie requiratur certioratio verbis expressis, exinde non
sequitur, ergo valet renunciatio sine certioratione, quin
potius hæc ipsa supponitur. Deinde femina æque iuris
ignara est, siue curatorem habeat, siue non. Vnde illam
Molleri aliorumque sententiam rectissime confutat Carpz.
P. 2. const. 16. def. 19. vbi & præiudicia subiungit.

Hactenus de mulieribus dictum est, quod illis certio- 16
ratio facienda, si iuribus sibi competentibus renunciare ve-
lint, sequuntur nunc minores, qui propter præsumptam
ignorantiam iuris pariter certiorari debent in renunciatio-
nibus. Menoch. *de Præs. l. 3. præf. 82. n. 7.* Imo in mino- 17
re eo magis adhuc certioratione opus, quia iura magis mi-
nori quam feminæ ius ignorare permittunt, scilicet mino-
ri simpliciter, feminæ vero in quibusdam tantum causis.
L. 9. pr. ff. de iure & fact. ignor. Cum vero in minoribus 18
certiorationem requirant Doctores, quæritur, annon ea-
dem quoque ratione impuberum necessaria sit? Sane non
solent impuberum mentionem facere interpretes, sed an
hoc ipso eos excludant, alia quæstio est? Scilicet, non pot-
est facile casus contingere in impuberibus, quippe quo-
rum contractus deficiente autoritate Tutoris ipso iure nul-
lus, hinc nulli iuri valide renunciare possunt. Quod si ta-

men id quandoque liceret, dicerem, non omittendam quoque esse certiorationem. Nam *impuberes nihil posse scire intelliguntur L. f. ff. de iur. & fact. ignor.* & hinc iura ignorare eis permittitur, ut adeo haud dubie in renunciationibus certioratione opus sit. Verum si tamen ad modum contrahendi in praxi receptum respiciamus, aliud forte dicendum. Constat enim, impuberes non solere ad perfectionem contractus adhiberi, hinc nec subscribunt ipsi, sed omnia agit tutor, vi officii sui. Cum ergo pupilli ipsi non renuncient, quid opus erit certioratione? Ex quo simul apparet differentia, quæ hoc casu subest inter pupillum & minorem, Tutorem & Curatorem: nam tutor accedit ad omnia pupilli negotia, ad integrandam eius personam; sed minoris persona integra iam est, hinc opus tantum est consensu curatoris circa alienationem bonorum minoris. Priori casu sufficit, tutorem perfectam negotii notitiam habere, sed posteriori casu non sufficit curatorem intelligere negotium, cum & minor consentire debeat, & ita certiorandus sit.

Post mulieres & minores tertio loco collocant Doctores rusticos, quod his etiam facienda necessario sit certioratio. Gallerat. *d. c. 10. n. 8.* Vbi tamen rationem subiungit Galleratus minime sufficientem, quia & alias rusticitas excusat: nam certioratio in his personis exigitur non ideo, quia sunt rustici, sed quia iura ignorant, quæ iuris ignorantia non est rusticitas.

Hæ sunt personæ, quibus Doctores certiorationem necessariam statuunt, ita, ut in renunciationibus aliorum eadem opus non esse existiment. Hinc Galleratus *d. l. n. 11. sciunt igitur, inquit, Notarii certiorationem exigere solum in renunciationibus minorum, mulierum & rusticorum, quandoquidem iis personis permittitur ius ignorare.* Verum

circa

circa hanc restrictionem nunc dispiciendum est; an fundata sit in iure & ratione, vbi statim obseruo, cur non etiam militibus facienda sit certioratio? Sane expediti iuris est, milites inter illas personas esse, quibus ius ignorare permittitur *L. 1. C. de iur. & fact. ign.* & ibi Brunnem. *num. 8.* cum ergo eadem in militibus subsit ratio, cur non eadem quoque decisio obtinere debet? contra de rusticis, quia silent leges, haud pauci asserunt, quod illis ignorantia iuris noceat, si peritiores consulere possunt. Brunnemann. *add. L. 1. C. num. 14.* Bachou. *ad Treut. 2. 4. 13. lit. E.* Sed 25
progredimur vltius, atque in genere asserimus, omnibus illis personis faciendam esse certiorationem, qui non intelligunt iura, quibus renunciare tenentur, idque facile nunc pluribus argumentis probari potest. Et primo 26
quidem sunt rationes naturales adeo euidentis, vt nihil ipsis reponi possit. Quid est renunciatio aliud quam pactum, quid autem magis ad validitatem pacti requiritur quam consensus? sed consensus præsupponit intellectum illius, qui consentit, & voluntatem: alterum vbi deest, non verus est consensus. Iam vero non sufficit homi- 27
nem in genere intellectu seu iudicio præditum esse, sed in specie requiritur, vt intelligat hoc, quod nunc agitur, negotium. Quod si ergo quis dicat, se v. gr. renunciare competentiae fori, & nesciat, quid sit competentia fori, quæso an quisquam sanæ mentis est, qui dicere audeat, hanc renunciationem esse validam? Inde ipsa naturalis ratio exigit, vt eiusmodi homini prius explicetur illud ius, quod per renunciationem amittit, ne quis inuitus iure suo cadat. Accedit, quod ita mille modis ab eruditis 28
decipi possint rudes, quod sane societatis nexus, qui inter homines est, nulla ratione permittit. Neque vero, si me- 29
rum ius naturæ spectes hic prærogatiuam hanc mulieres,

minores, rustici, præ aliis: Siquidem generaliter idem in omnibus, qui negotium peragere debent, exigitur, non modo ut possint intelligere quod agitur, sed etiam ut re vera id intelligant, & ita omnia, quæ obscura sunt, paciscentibus clare & perspicue explicentur.

- 30 Verum progrediendum nunc ad rationes iuris civilis, videndumque, an ibi aliquid specialiter decisum reperiatur in certis personis, annon vero rationes legum generales sint, quæ omnibus, qui iura ignorant, applicari possint.
- 31 Sane vniuersalis (1) est locutio Papiniani, quando in L. 76 ff. de Reg. Iur. his verbis utitur: *In totum omnia, quæ animi destinatione agenda sunt, non nisi vera & certa scientia perfici possunt.* Quis ergo audeat hanc iuris regulam ad certas personas restringere, maxime cum & ipsum naturale ius, ut antea diximus, hanc regulam corroboraret.
- 32 Inde vero facile duci potest argumentum: Si in totum omnia negotia ex vera & certa scientia perfici debent, utique eo casu, si cum personis imperitis res sit, opus erit certioratione, qualescunque illæ sint personæ; quia alias deficit destinatio animi, & sic collapsio fundamento labitur tota obligatio, quæ ei superstructa.
- 33 Succedit (2) illud quoque satis decantatum brocardicum: *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum.* Quod variis Doctorum testimoniis comprobatur Barbosa in *Axiomat. sub voce: actus axiom. 37. & 38.* Quomodo autem intentio agentium potuit fuisse, iuri alicui renunciare, quod ius quale sit, ab iis fuit ignoratum? quod si ergo non facta fuerit certioratio, haud dubie ille actus nihil operabitur. Neque hic iterum inter personas distingui potest; nam quotiescunque aliquis ignorat quod actum est, toties non habuit intentionem id agendi, deficiente
- 34 autem intentione deficit validitas actus. Cui (3) suffragatur

gatur illud commune doctorum assertum, ad incognita non esse trahendam renunciationem, & iuri ignorato neminem præsumi ignorasse. Ita filia quæ ex testamento adiit hereditatem, si factò alterius illud rescindatur, nihilominus ab intestato succedere non prohibetur: nec enim quæ ex testamento adiit, quod putat valere, repudiare legitimam hereditatem videtur, quam nescit sibi deferri: vid. *L. 19 ff. de in offic. testam.* Ita qui indebite soluit, etiamsi conuentum fuerit inter solventem & accipientem, ex hoc contractu nullam inter se controuersiam amplius futuram, adhuc tamen conditionem indebiti instituere potest *L. 67. §. 3 ff. de Condict. indeb.* Ut alia exempla nunc 35 taceam. Ex quibus & aliis generalibus iuris regulis, quæ ab omnibus approbantur, id clarissime constat, non posse quemcunque actum a quocunque susceptum pro valido haberi, nisi cognoscatur id, quod agitur, ac proinde semper in eiusmodi casibus necessariam esse certiorationem, vt rei ignoratæ notitiam consequatur ille, cum quo nobis est negotium. Neque etiam hic ad personæ conditionem respiciendum, an sit mulier, minor, rusticus, sed an intelligat negotium: an sciat, quod sit ius, cui renunciandum. Hinc (4) aliam adhuc iuris ciuilibus ratio 36 nem subiungo, quæ vult, vt identitas rationis eandem quoque decisionem operetur. Iam vero eadem ratio ob quam mulieribus, minoribus, & rusticis certiorationem faciendam dicunt Doctores, pro aliis quoque personis, quæ iura ignorant, militat. Quis enim ab omnibus aliis singulorum iurium scientiam requirat? veluti ab opificibus, a mercatoribus, a personis ecclesiasticis &c. Cum ergo & hi præsumantur iura ignorare, non minus quam mulieres, minores & rustici, iisdem etiam facienda certioratio. Hinc non modo enumeratis personis sed etiam Analpha-

betis faciendam esse certiorationem merito statuit Illustr. Dn. Stryk. *Voll. III. Disp. XV. de iure Analphabetorum c. 3. n. 27. seqq.*

- 37 Sed videamus argumenta, quæ in contrarium adduci solent. Inter illa autem potissimum est, quod iura certis tantum antea enumeratis personis permiserint ignorantiam iuris, hinc non opus esse, ut eorum ignorantia, quæ culpabilis, per certiorationem subueniatur, damnum
- 38 enim sua culpa sentiunt. Verum, ut ad ultimum prius respondeam, non repeto ea, quæ iam *Cap. I. n. 14.* dicta, sed hoc tantum addo, quando Labeo *in L. 9. §. 3. ff. de iur. & fact. ignor.* dicit, ei detrimento esse iuris ignorantiam, cui facile est scire, hoc intelligendum esse de generalibus iuris principiis, ut, fidem datam esse seruandam: non esse delinquendum; ceu Ictum recte explicat Schilterus *ad Pand. Exercit. 31. §. 39.* minime vero de iuribus specialibus, ac beneficiis singularibus, quæ non æque facile intelligi possunt.
- 39 Deinde vero, quod certis tantum personis iuris ignorantia nocere non debeat, hoc in specialibus casibus & ob certas causas tantum constitutum, interim in genere etiam quoad personas alias omnes sancitum, quod in casu, si de damno vitando agant, illis ignorantia iuris nocere non debeat; ita enim expressa verba habent Papiniani: *ceterum omnibus iuris error, in damnis amittendæ rei, non nocet. L. 8. ff. de Iur. & fact. ignorantia.* Iam autem, ut hanc generalem assertionem ad quæstionem præsentem applicemus, quando agitur de renunciando iuri nobis competenti, tum utique semper occurrit damnum amittendæ rei, amittimus enim ius, cui renunciamus: ergo non debet cuicumque, non tantum mulieri, minori & rustico, nocere ignorantia iuris; h. e. non debet valere renunciatio iuris ignorati. Si hoc, necessaria est
- est

est certioratio in omnibus illis personis, in quibus talis ignorantia est, quia alias valere renunciatio non potest. Vnde & illud argumentum corrumpit, quod a copia ICtorum 41 petunt, scilicet imputare sibi debere reliquos, quod peritiores non consulerint, cum tamen ubi vis reperiantur ICti. Nam primo, magna quidem est ICtorum copia, sed sæpe tamen non licet eos adire ob rationem loci & temporis, sæpe non licet eos consulere nisi oblata pecunia, qua forte carere non potest consulens, & licet tandem hæc omnia non sint, si de damno vitando agatur, etiam si ICti copiam habere licet, tamen non nocet iuris ignorantia. Schilterus *d. ff. 39.*

Verum posset quis ulterius instare, si ita persona, cui 42 ius ignorare in specie non concessum, renunciauerit iuri cuidam ignoranter, sine certioratione, tum si omnia iam consummata, & illa, ob non factam certiorationem, impugnare contractum & v. gr. pecuniam solutam repetere vellet, hoc ei non concedendum esse, ex illa ratione, quod iuris quidem ignorantia non noceat, si agatur de re nostra amittenda, noceat vero, si de re amissa recuperanda quaestio sit. Quæ distinctio communis est, prolixè defensa ab Harprecht. *ad ff. 1. Inst. quib. mod. re contrab. obl. n. 54. seqq.* Meretur hæc sententia, ut paulisper examine 43 tur, ubi non diffiteor, mihi absurdum videri, tum excusare iuris ignorantiam, si res nondum amissa, sed quando amissa eam nocere, & mihi non licere rem repetere? Vti autem pleræque distinctiones a doctoribus excogitatæ, & in legibus non expressæ, dubia multa relinquunt, ita & hæc. Quæstio specialius ita formari potest: an ex sola ignorantia iuris solutum, tanquam indebitum repeti possit? id quod communiter negant, nos autem affirmamus, & rationibus legibus ducti.

Neces.

- 44 **Necessum tamen est, ut distinguatur (1) an naturaliter obligatus fuerit, qui errore iuris soluit, an nullo modo fuerit obligatus: priori casu, solutum non repetitur, verum non ex ea ratione, quia errore iuris soluit, sed quia naturalis obligatio impedit condictioem *L. 10 ff. de O. & A. L. 13. L. 19. pr. L. 38. §. 1. & 2. L. 64. ff. de Condict. indeb.* Hic ergo quæstio est de posteriori casu, quando enim dicitur ideo cessare condictioem, quia ignorantia iuris nocet in casu rei amissæ recuperandæ, tum oportet, ut nihil aliud adsit, quod condictioem impediat, cum alias**
- 45 **ex isto impedimento possit cessare condictio. Deinde (2) distinguendum, an quæstio sit de captando lucro, an de vitando damno: illo casu ideo cessat condictio, quia ignorantia iuris nocet, si lucrum quæeratur: de hoc casu vero tantum quæstio est, an qui soluit, si de damno vitando sit sollicitus, habeat condictioem. Quodsi ergo probauerimus, hoc casu dari condictioem, simul probatum erit, illam distinctionem, an agatur de re amittenda, an vero de re amissa recuperanda, esse nullius momenti.**
- 46 **Quibus pro formando vero statu controuersiæ, præsuppositis, nunc, ut probemus sententiam nostram, primo adducimus generalem iuris rationem, qua illius melior est conditio, qui de damno vitando, quam qui de lucro captando agit. Iam autem si quis ex ignorantia iuris soluerit, quod alteri nullo iure debetur, tum utique is, qui repetere solutum intendit, circa reparationem damni est sollicitus, alter vero in lucro captando hæret; quodsi itaque non conceditur condictio, hæud dubie melior est ratio eius, qui lucrum quæerit, quam qui in damno hæret, quod aduersatur notissimæ illi iuris regulæ. Quod pri-**
- 47 **imum absurdum est, quod ex contraria sententia fuit. Sed addimus aliud absurdum. Scilicet volunt iura, ut in da-**

mno amittendæ rei non noceat iuris ignorantia; sed tum cum damnum datum est, & ille casus nunc existit, Doctores nolunt ut ipsi detur repetitio & reparatio damni. Et sic quod iura alicui concedunt beneficium, illi iterum adimunt in manifestam fraudem legum. Hinc ut ad ipsas leges nos conferamus, & ex iis sententiam nostram probemus necessum est. Inter illas vero præcipuæ sunt *L. 48 7. & 8. ff. de iur. & fact. ignor.* Vbi Papinianus in *L. 7.* hæc verba habet: *iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus: SVVM VERO PETENTIBVS NON NOCET.* Ex qua lege hoc duco argumentum: si iuris ignorantia non nocet suum petentibus, sequitur ut illud, quod ex ignorantia iuris solutum est, peti possit. Cuius argu- 49 menti vim cum sentiant Doctores, ita respondent, legem agere de casu, si actio realis competat, non si conditio instituat; cum enim per solutionem transferatur dominium, facta solutione non suum petitur, sed alienum. At restringunt legem dissentientes sine necessitate, nam quis tam hospes in iure est, ut ignoret suum in legibus non semper denotare illud, quod nostrum est iure domini, sed & quod ex iure ad rem nobis debetur? Meum tum etiam peto, quando id peto, quod ex contractu mihi debetur. Quæ appellatio eo magis procedit circa conditionem indebiti, quia per hanc illud peto, quod antea meum fuit, & alterum ad eius restitutionem, si non in specie, tamen in genere, adigo. Hic vero vel ideo non pot- 50 est locum habere ista doctorum restrictio, quia in *d. l. 7. suum petentes opponuntur acquirere volentibus*, ita ut hic sensus sit: toties ignorantiam iuris non nocere, sed locum esse repetitioni quod nostrum est, quoties non agimus de acquirendo, sed tantum de reparando damno. Quam distinctionem ulterius vrget ICtus in sequenti *L. 8. 51*

*d. z. vbi ita legitur: Ceterum omnibus iuris error in damnis
amittendæ rei non nocet.* Quando ergo periculum est rei
52 amittendæ, tum non nocet iuris error. Sed dicis: hic
non agitur de re amittenda, sed de amissa recuperanda:
Respondeo, hoc non excluditur, nam & hoc damnum est,
vti enim idem est rem habere, ac ius ad rem consequen-
dam, ita idem est rem amittere & ius ad rem amissam re-
53 cuperandam, seu amittere conditionem. Iterum ICtus
in *b. l. 8.* damnum opponit compendiis, vt inspectio do-
cet, & adeo mens eius est, nunquam nocere ignorantiam
54 iuris quam in compendiis. Sane contra omnem ratio-
nem est, restringere verba ICri, ad casum rei amittendæ,
cum tamen idem in præcedenti *L. 7.* in casu rei amissæ
55 concesserit repetitionem. Qui duo textus quamuis soli
sufficere possint, vt tamen eo clarior res fiat, prouoco ad
L. 1. pr. ff. vt in possess. legat. seruand. caus. vbi heres, qui le-
gatorum nomine per errorem iuris satis dedit, cum re-
missa ei esset a testatore cautio, satisfactionem condicere
56 potest. Ad quem textum frustra Harpprecht in *ff. 1. Inst.*
Quib. mod. re contr. n. 60. respondet, hoc tantum de æqui-
tate constitutum esse, quia dicitur: *adhuc tamen benigne
quis dixerit satisfactionem condici posse;* nam rehero, ius
tamen huic æquitati assistere, non vero eam stricto iuri
opponere, vt in aliis legibus fieri solet. Ad minimum in-
de constat, sententiam contrariam non esse benignam, sed
iniquam, in dubio vero in æquitate manemus *L. 8. C. de iud.*
57 Nec obstat quod porro idem vrget, quæ hic singulariter
statuta in fauorem vltimarum voluntatum, non esse tra-
henda ad consequentiam; nota enim est limitatio, nisi ra-
tio sit generalis, & nisi idem in aliis textibus in genere con-
stitutum, vt antea ex *L. 7. & 8. de iur. & fact. ign.* proba-
uimus. Facit etiam pro nostra sententia *L. 58. pr. ff. de
cond.*

cond. ind. vbi frater fratri soluit, ad quod obligatus iure non fuit, & tamen conceditur pro parte dimidia, secundum distinctionem ibi adiectam, condictio. Nec tollit vim huius legis Harprecht. *d. l. n. 62.* quando textum de errore facti explicat, quia frater soluens *forte* putauit, mutuum post mortem patris fuisse contractum; nam hæc responsio est violenta & diuinatoria, & sic non admit- tendam, cum illud *forte*, per nostrum *forte non*, facile tolli possit.

Possent plures textus adduci, si ratio instituti hoc 60
permitteret, nobis sufficit, contrariam sententiam ne qui-
dem vnico textu claro & euidenti probari posse, vt sic
nostra, quæ ratione, æquitate & legibus manifestis niti-
tur, merito sit præferenda. Ne autem iniuriam faciamus
aduersariis, adducemus Leges, quibus nituntur, nam ra-
tiones plane nullas habent. Potissimum vero præsidium 61
quærant in *L. 10. C. de Iur. & fact. ignor.* vbi hæc verba le-
guntur: *Cum quis ius ignorans indebitam pecuniam solue-
rit, cessat repetitio.* Quæ lex vtut clara videatur & per-
spicua, multa tamen sunt, quæ ad illam responderi pos-
sunt. Et primo quidem notum est, leges Codicis conti- 62
nere Rescripta Impp. quæ ad speciales casus emanarunt,
nec facile exinde vniuersalem regulam formandam, ma-
xime si ex legibus Digestorum aliud generaliter statutum
esse, vt hoc casu, probari possit. Deinceps autem, vt ma- 63
gis ad verba textus respiciamus, id in confesso erit, per
ius, quod ignoratur, ibi intelligi ius ciuile. Hinc non
potest aliter casus legis concipi, quam si quis ad soluen-
dum obligatus fuerit naturaliter, sed non ciuilitate, & ob
ignorantiam iuris ciuilibus soluerit. Si enim quis soluerit,
sine vlla præcedente causa, erit error facti, quia credidit,
se obligatum esse, cum nemo soleat soluere pecuniam,

- quam non putat se alteri ex negotio præcedente debere:
 64 & alias casus legis non esset dabilis. Hinc & B. Brunne-
 mannus *ad d. L. 10. n. 1.* dicit, hanc legem loqui de debito
 naturali, non ciuili. Quod si ergo naturale sit debitum,
 & quis errore iuris ciuili, quod forte isti naturali obliga-
 tioni effectum ademit, soluerit, v. gr. Si filius fam. mu-
 tuum soluerit, ignorans, se propter SCtum Macedonia-
 num ad soluendum non fuisse obligatum, cessat repetitio,
 non ideo quia propter ignorantiam iuris soluit, sed quia
 65 condictio locum non habet, vbi naturalis subest obliga-
 tio. *L. 40. pr. ff. de Condict. indeb.* Quod si magis tibi pla-
 cuerit casus, quem format ex illa *L. 10.* Brunnemannus
d. l. Si quis omnia legata soluerit non detracta falcidia,
 quia ignorauit, sibi falcidiam deberi, vel si quis legata sol-
 uerit ex testamento imperfecto, quia putauit perfectum
 esse, tum pariter non obstat ista Lex; Nam solutum hic
 non repetitur, non quia errore iuris solutum, sed quia
 repetens lucrum quærit ex testamento, hic autem de da-
 mno vitando agimus, vti *n. 44.* præsupposuimus. Quem-
 cunque ergo casum legis formaueris, facilis est responsio.
 66 Obiiciunt porro *L. 9. §. 5. ff. de iur. & fact. ignor.* vbi Pau-
 lus ICtus: *Si quis ius ignorans Lege Falcidia usus non sit,*
nocere ei dicit Epistola D. Pii. Cum quo textu conuenit
L. 9. C. ad L. Falcid. vbi pariter constitutum, si ex errore
 iuris non retenta Falcidia, non dari repetitionem. Ve-
 rum ad vtrumque textum vno modo respondetur, scili-
 cet ideo non repeti, quia repetens lucrum quærit ex testa-
 mento, vt lucretur quartam Falcidiam, non agit de damno
 vitando. Hic autem quæstio est, an, si de damno vitando
 agatur, distinguendum sit inter rem amittendam & amis-
 67 sam recuperandam. Tandem pro sua sententia adducunt
 dissentientes *L. 6. & 7. C. de Condict. indeb.* Sed hæc leges de
 de

de errore facti loquuntur, a contrario autem sensu in legibus Codicis non valere argumentum, tyronibus notum est. Vt adeo lubrica admodum sint fundamenta, quibus contraria sententia nititur.

Rectissime ergo hanc nostram sententiam æquitati 68 naturali consentaneam & in foro receptam asserit Schilterus *ad Pandect. Exercitat. 24. §. 34.* Vbi addit: *Accedit, quod hodie ius minus sit finitum, recepto præter patria iura etiam Romano & pontificio, & utroque in lingua peregrina descripto, variisque interpretum opinionibus & dissensibus diffuso.* Quam praxin corroborat Carpzou. *P. 3. C. 15. def. 42. n. 8. seqq.* vbi in fine subiicit præiudicia. Neque aliorum 69 doctorum assensus nobis deest, si autoritatibus certe fas esset. Vid. præter illos quos citavit Harprecht. *d. l. num. 53.* & Carpz. *d. n. 8.* Franzkius *ad tit. ff. de Condict. in deb. n. 28. seqq.* Christinæus *P. 3. Decis. Belgic. 8. num. 3.* Hahn. *ad Wesenbec. tit. de Condict. ind. n. 9.* & Bachouius *de Action. Disp. 4. tb. 17.*

Cum itaque in renunciationibus iuris semper agatur 70 de damno, & in hoc casu non certis tantum personis, sed omnibus ius ignorare permissum, neque hic distinguendum sit, an agatur de re amittenda, an vero de amissa recuperanda; clarissimum inde euadit, omnibus personis, quibus ignota iura sunt, faciendam esse certiorationem. Imo eousque hoc extendimus, vt etiam locum 71 habeat in iis personis, qui alias iura scire præsumuntur, si manifestum sit iudici vel notario, quod hoc vel illud ius non intelligant.

CAP. III.

DE
IVRIBVS, IN QVIBVS NECESSARIA
EST CERTIORATIO.

CONSPECTVS.

*De iis, quæ in facto consistunt,
non est facienda certiora-
tio. n. 1. 2.*

*In omni renunciatione iuris
ignorati opus est certiora-
tione. 3.*

*Exemplum in SCto Velleia-
no. 4.*

*Notantur Doctores, quod in a-
liis iuribus mulieres cer-
tiorandas esse non asserant.
5. 6.*

*Aliud exemplum, si minor re-
nunciet beneficio restituit.
in integr. 7.*

*Vel in genere, quotiescunque
quis ignorat iura. 8.*

*Imo & si quis dubitet de iure
suo certiorandus est. 9.*

*Requiritur certioratio in spi-
ritualibus. 10.*

Et in iuramentis 11. 12.

*In quo communiter a nobis
dissentunt Dd. 13.*

Eorum rationes. 14.

Probatum etiam in iurata re-

*nunciatione necessariam et
se certiorationem. 15. 16.*

*(1) Ex natura renunciatio-
nis 17. seqq.*

*(2) Ex natura iuramenti
24. seqq.*

*(3) Ex concurrente dolo al-
terius 25. seqq.*

*(4) Ex absurdo, quod ex
contraria sententia se-
quitur 31. 32.*

*Consensus aliorum Doctorem
adducitur. 33. 34.*

*Conceditur ex iurata renun-
ciatione nasci præsumtio-
nem factæ certiorationis,
sed cum distinctione. 35
seqq.*

*Interesse huius quæstionis 40
seqq.*

*Si Creditori charta blanca da-
ta, an opus sit ut certiore-
tur debitor de iis, quæ cre-
ditor inscripsit? 50. 51.*

*An opus sit certioratione
quando renunciatio fieri
debe.*

<i>debet de conscientia legis</i>	<i>Requiritur certioratio in re-</i>
52. 53.	<i>nunciacione hereditatis.</i>
<i>Affirmatiua probatur</i> 54.	59.
seqq.	<i>Etiā iurata</i> 60. seqq.
<i>Transactio super relictis in te-</i>	<i>An opus sit certioratione in</i>
<i>stamento non valet nisi</i>	<i>testamento litterarum im-</i>
<i>prævia certioratione</i> 58.	<i>periti.</i> 63. 64.

Postquam personas considerauimus, quibus facienda certioratio, nunc ordo poscit, ut iura ipsa quoque euoluamus, in quibus certioratione opus est. Dum autem iura nomino, facile exinde pater, me excludere facta: nam illa constans doctorum sententia est, de iis quæ in facto consistunt, neminem debere certiorari, siue agatur de facto proprio ipsius renunciantis siue de facto alieno, quamuis utilis esse possit certioratio, ut renuncians excludatur a probatione erroris. Paul. Galleratus *de Renunciacione. T. I. l. 30. c. 10. num. 9.* Circa quam doctorum 2 sententiam quamuis multa possent moneri, cum utique in non paucis casibus etiam facta alteri certioranda sint, hic tamen huic rei immorari non licet, quia tantum de certioratione iurium disputamus. Videamus potius in specie quæ iura certioratione indigeant.

Ex iis autem, quæ hæctenus dicta, constare poterit, 3 per modum regulæ generalis asseri posse, omnia illa iura, quæ renunciantibus incognita sunt, certioranda esse, quia ad omnia illa pertinent rationes, ob quas certiorationem exigunt Doctores, scilicet quod iuri ignorato nemo renunciare, & ius, quod sibi competere nescit, nemo remississe, censeatur, Illustr. Dn. Stryk. *de Caut. Contr. Sect. I. Cap. 5. §. 6.* Cuius rei exemplum est in beneficio S. C. 4 Velleiani, huic enim si renunciare velit femina, quia ius il-
lud

lud ignorare præsumitur, certioratione opus est, ceu capite præcedenti diximus *num. 2. & seqq.* vt ita hoc loco eadem repetere necessum non sit. Illud tantum censuram meretur, quod Doctores communiter in hoc solo casu, si renunciandum sit SCto Velleiano, certiorationem requirant: cum tamen ego existimem in omnibus iuribus, quibus renunciat femina, idem obtinere debere. Est enim plane eadem ratio, nam quis dixerit, feminas tantum præsumi ignorare SCtum Velleianum? sane pleraque, si non omnia, iura alia ignorant, & sic eadem facilitate vbius lædi possent, vbi autem ignoratio iuris, ibi haud dubie adest necessitas certiorationis.

7 Aliud exemplum est in casu si minor velit renunciare beneficio restitutionis in integrum, tum enim de illo prius certiorandum esse, communiter tradunt Doctores.

8 Galleratus *d. c. 10. num. 6.* vbi idem dicit obseruandum non tantum si restitutioni, sed & si læsioni, vel cuicunque exceptioni renunciare debeat; & recte, non enim distinguendum inter iura quibus renunciatur, omnia prius certioranda. Itaque non opus erit plura exempla adducere, cum alias omnia iura hic recensenda essent, sufficit nos regulæ nostræ generali insistere quæ certiorationem

9 exigit in omnibus negotiis inter viuos. Quam & eousque extendimus, vt non tantum obtineat, si ius plane ignoretur, sed & si quis de iure quodam, an si competat, dubitet: dubitantem enim iuri suo renunciasse non videri, ex *L. fin. §. 2 C. de furt.* probat Philipp. Matth. *l. 3. Consil. Marp. 25. n. 15.* Quod si autem dubitans iuri suo non renunciat, sed certa scientia requiritur, vtique oportet vt illud dubium per certiorationem tollatur.

10 Hinc est quod in spiritualibus quoque certiorationem requirant Doctores Galleratus *d. c. 10. n. 12. in fin.* cuius

ius ratio manifesta, quia natura & indoles rerum spiritua-
lium a plerisque ignoratur. Ex qua ratione idem quoque **11**
in iuramentis dicendum. Cum enim tam frequens hodie
sit exactio & præstatio iuramentorum, homines plerum-
que quantum sibi eo ipso præiudicium faciant, ignorant,
qua propter non admittendus quis est ad iurandum, nisi
præcesserit certioratio illorum iurium, quæ per iuramen-
tum præstitum amittuntur. Est enim iuramentum instar **12**
transactionis *L. 2. ff. de iureiurand.* Transactiones vero
vti continent iuris nostri remissionem, ita exigunt certio-
rationem; vt ita idem haud dubie in iuramentis obtinere
debeat.

Verum hic bellum nobis indicere videtur commu- **13**
nis doctorum Scholæ, qui certioratione opus non esse, si
renunciatio corporali iuramento firmata, asserunt, & sic
nec minorem iurantem de beneficio restitutionis in inte-
rum, nec mulierem iurantem de beneficio S^Cti Velleiani
certiorandam esse confidenter statuunt. Paul. Galleratus
de Renunciat. T. I. lib. 3. c. 10. n. 17. seqq. & *T. II. Renunciat.*
58. n. 10. Card. Tuschus *Præf. Conclus. T. I. lib. C. concl. 197.*
n. 2. seqq. Hering. *de Fideius. c. 7. n. 507. seqq.* Mynsing. *resp.*
56. n. 18. Seraphin. *de Privil. iurans priv. 63.* & innumeri al-
li ab his citati. Quorum rationes potiores hæ sunt: (1) **14**
Quod iuramentum habeat vim expressi & specialis confen-
sus ac specificæ declarationis, & animum deliberatum o-
stendat: Setferus *de Iurament. lib. 1. cap. 25. n. 51. seqq.* Et
(2) ad iurisiurandi interpositionem maiori deliberatione
quam ad renunciandum perueniatur. Hering. *d. c. 7. n. 508.*
Inde (3) legem fingere, iurantem scire ea quæ in iure con-
sistunt: Nam (4) iurans quoniam cogitat facere actum vt
is valeat omnino, videtur saltim in genere cogitasse de amo-
uendis omnibus auxiliis iuris, quibus possit actus retractari.

Accedit (5) quod iuramentum porrigatur etiam ad ignorata de iure, modo factum non sit ignoratum. Cui tandem (6) subiungitur, quia omne iuramentum, quod sine dispendio salutis seruari potest, seruandum. *C. 28. X de iur. reiur. Cap. 2. de Pact. in 6to.*

- 15 Vt ergo nostram sententiam distincte exponamus, non confundendæ sunt duæ quæstiones (1) an certioratio necessaria sit, si iuramento negotium confirmatur? (2) An non iuramentum operetur præsumptionem factæ certiorationis? Quæ cum a Doctoribus inter se mirum in modum confundantur, non possunt non magna oriri dubia.
- 16 Vt ergo de prima quæstione prius videamus, omnino tenendum est, necessariam esse certiorationem, etiam in iurata renunciatione iurium, idque nunc & rationibus probabo & autoritatibus, quamuis his proprie nullam vim probandi, sed tantum illustrandi, tribuam. Quod si ergo
- 17 (1) naturam ipsam renunciationis consideremus in genere, patet ex iis quæ Cap. I. dicta, omnem renunciationem præsupponere scientiam illius iuris, cui renunciandum. Dum enim conceditur, neminem suum iactare præsumi; transactiones stricte interpretandas, quia remissionem iuris continent; easque ad incogitata non extendendas; ignorato iuri neminem præsumi renunciare voluisse; quid aliud dicitur, quam certum quem esse debere illius iuris,
- 18 de quo transigit, & cui renunciat. Quorsum etiam pertinet *L. 9. §. 1. cap. 3. ff. de Transact.* in qua invalida dicitur transactio de his, de quibus non cogitatum, & hinc illi, qui ignorat sibi querelam contra testamentum patris competere, etiam si transfegerit cum aduersario, non tamen nocere transactionem, addita ratione: *iniquum est perimi pacto id, de quo cogitatum non docetur.* Sed non potuit cogitatum esse de remittendo iure, quod sibi competere quis ignora-

ignoravit add. Dalner. *de Renunciat. c. 2. n. 8.* & ibi citati. Quæ cum ita sint in renunciatione simplici, etiam ex con- 19
sensu aduersariorum, nunc porro considerandum, an aliud
obtineat, si iuramentum accesserit renunciationi? id quod
mihi non videtur. Nam nec iuramentum ad incogitata
extenditur Dn. Stryk. *Tr. de iure sens. Diff. X. c. 7. n. 3. seqq.*
sed non potuit cogitasse iurato renuncians ea iura, quæ non
intellexit. Est insuper iuramentum non principale ne 20
gotium, sed actus accessorius. Quicquid ergo necessari-
um est ad negotium principale rite ineundum, illud quo-
que ad subsistentiam accessorii requiritur. Nam sublato 21
principali tollitur accessorium, ita transactio dolo inita non
subsistit, etiamsi iuramento confirmata, quia iuramentum
eodem laborat vitio. Idem multo magis dicendum, si in
negotio principali consensus plane desit, tum enim iura-
mentum quoque præstitum nullum est, cum & hoc con-
sensus requirat fundamento. Fac ergo furiosum vel in-
fantem rem, quam non intelligit, promississe, fatebitur v-
nusquisque eum non obligari. Fac eum addidisse iura-
mentum, an nunc obligatur? negabunt omnes. Sed ea-
dem ratio est certiorationis omissæ. Nam ut quis con- 22
sensisse dici possit in renunciationem iuris, requirunt om-
nes certiorationem: hac ergo omissa, utique deficit intel-
lectus & consensus, in ea persona, quæ ius ignorat, non
minus quam in furioso & infante. Inualida igitur cum
sit renunciatio ob defectum consensus, inualidum quo-
que erit iuramentum adiectum. Vti enim ignoranter &
sine intellectu renunciauit, ita & iurauit; utrobique ea-
dem est ratio. Hinc sane oportet ut, si subsistere debet
iuramentum, præmittatur certioratio. Nec obstat, quod 23
alter sibi imputare debeat, quod renunciauerit iuri, quod
ignorat & scire debebat; nam respondeo, agimus hic de

iis personis, quibus ius ignorare permittitur, eeu Cap. II. dictum. Hi ergo in culpa non sunt, si ignorant iura, cum & leges ipse eorum ignorantiam pro excusabili habeant, & sic iis subueniant.

- 24 Idem constabit clarius, si & (2) naturam iuramentorum consideremus. Nec enim specialis tantum iuris Canonici dispositio est, quando in omni iuramento valido tres comites, veritas, iustitia, & iudicium, exiguntur *cap. 26. X. de iureiur.* sed requiritur illa, siue ad ius diuinum, siue ad ius Naturæ respicias. Sed in præsentem tantum circa iudicium subsistam, illud pro fundamento ponens, iuramentum sine iudicio præstitum esse nullum. Ad verum autem animi iudicium necessario requiritur intellectus, & deinde, post habitam sufficientem deliberationem, approbatio voluntatis. Unde non tantum illi sine iudicio agunt, qui usu rationis privati, ut infantes, furiosi, sed & qui illud quod peragitur negotium sine sufficienti deliberatione suscipiunt: Quo pertinent verba Pauli quæ in *L. 48. ff. de Reg. Iur.* reperiuntur: *Quicquid in calore iracundia vel fit, vel dicitur, non prius ratum est, quam si per*
- 25 *seuerantia apparuit, iudicium animi fuisse.* Quod cum expediti iuris sit, & vnanimi moralistarum consensu nitatur, nunc porro progredior ad ignorantiam, & cuius perpendendum relinquo, an quidquam sit quod magis excludat intellectum, actum deliberandi, & voluntatem, quam ignorantia. Certe quod ignoro, hoc non intelligo, quod non intelligo, de eo frustra instituitur deliberatio, quod vero nec intelligo nec in deliberationem venit, illud voluntate mea appetere non possum. Ut ergo aliquid cum iudicio fieri possit, oportet ut præcedat rei, de qua agitur, scientia.
- 27 Quomodo itaque potest subsistere iurata renuntiatio illius iuris, quod ius quale sit iurans ignorat? Deficit sane

sane in hoc iuramento iudicium, & sic deficit validitas & efficacia iuramenti. Hinc manifestum inde euadere puto, vt iurata renunciatio valeat, necessario præmittendam esse certiorationem, vtpote per quam ignorantia tollitur, vt alter cum iudicio iurare possit.

Quamuis autem hæc pro demonstranda veritate sen- 28
tentia nostræ sufficere queant, vt tamen eo clarius res pateat, addo (3) quod, si in iurata renunciatione omittatur certioratio, cum tamen constet, vel præsumatur renunci-
antem ius ignorare, magna adsit præsumptio doli, contra eum qui certiorationem omittit. Nam si bona fide agitur, cur non adhibetur certioratio? Rem demonstrabo exemplis: Notum est iuramentum a minore præstitum 29
excludere beneficium restitutionis, & mulierem iurato intercedentem pro marito, priuari beneficio S^Cti Velleiani: Iam & minor & mulier, sunt personæ, in quibus leges ignorantiam iuris præsumunt. Quomodo itaque minor & mulier suis beneficiis renunciasse dici possunt, si ignorarunt, eadem ipsis competere. Alter ergo qui has personas ad iuramentum adstringit, quæso annon aperte in dolo est. Sane si non fuisset, hæc non reticuisset, sed explicatis beneficiis liberum ipsis reliquisset, an iis renunciare velint an fecerit. Cum itaque nullum iuramentum, ad 30
quod dolo inductus iurans est, sit obligatorium, nec hoc efficaciam quandam habeat.

Sed & (4) ab absurdo, quod ex contraria sententia 31
sequitur non minimum robur nostræ accedit. Iam vero si rem penitus consideremus, illico adparebit, si aliter statuatur, ianuam aperiri fraudibus & machinationibus maleuolorum, qui hac ratione non omittent imperitos & iurium suorum ignaros decipere, cum sciant, etiam non facta certioratione, adhuc tamen subsistere renunciationem.

32 Neque obstat, hoc non per se fieri sed per accidens, nec abusum semper euitari posse, nam ad hoc respondeo, ad ea, quæ per abusum fiunt, non semper quidem respiciendum esse, verum si duæ sint sententiæ, posito quod æque probabiles sint, quarum vna multa post se trahit incommoda, non vero altera, tum vtique hæc alteri præferenda. Vt ita vel ex hoc capite palmam nostra sententia mereatur: maxime cum & longe validioribus rationibus nitatur.

33 Ne vero quis existimet, esse hanc sententiam plane singularem, alios produco qui eiusdem nobiscum sunt opinionis, inter quos præcipui sunt Benckend. *ad Seraphin. de priuil. iuram. priuil. 119.* Hieron. *de Cæuall. Opin. Commun. contra bomm. l. 2. pr. qu. 515.* Io. Strauch. *ad Vniuers. ius Iustinianeum Exercit. XIV. §. 14.* Pruckmann. *ad L. in multis ff. de stat. hom. p. 2. art. 15. n. 7.* Enenk. *Baro de Priuileg. l. 3. cap. 26. n. 2. in fin.* Wesenb. *cons. 23. n. 12.* Martini *ad Proc. Saxon. tit. 43. §. 1. n. 223.* Meu. *ad Ius Lubecense l. 1. tit. 5. art. 7. n. 121.* Aliique quos citant Paul. Gallerat. *Tr. de Renunciat. T. 1. lib. 3. cap. 10. n. 18. in med.* & Hering. *de Fideiussor. cap. 7. n. 509.* Imo & ipsi dissentientes non possunt inficias ire, tutiorem esse nostram sententiam, & ita in praxi magis sequendam. Vid. Hering. *d. l. n. 5. 10.* Meu. *ibid.* Illustr. Dn. Stryk. *de Caut. Contract. Sect. 2. cap. 6. §. 4.* qui hanc cautelam suppeditat, vt iuramentum ita late concipiatur, & quidem Germanicis verbis, vt simul declarationem iuris contineat: Vbi in specie quidem de iurata fideiussione mulierum agit, sed ob identitatem rationis hæc ipsa cautela in omni renunciatione iuris ignorati locum habere potest.

35 Quod si vero nunc alteram quæstionem *num. 15.* propositam consideremus, an scilicet ex iuramento præstito oriatur

oriatur præsumptio factæ certiorationis, aliter dicendum est; sed ut hic quoque non confuse agamus, distinguendi sunt duo casus, vel enim contractus tantum iuramento confirmatus, vel iuris speciali renunciati adiectum iuramentum: Priori casu puto generalem confirmationem 36 contractus, iuramento factam, operari præsumtionem adhibitæ certiorationis. Licet enim iurans voluerit ut valeat contractus, & ita præsumatur satis certus fuisse de iuribus suis, nec ex leuitate animi iurasse; cessat tamen hæc præsumtio si illud ius, quod iureiurando amittit, non expresse sit in contractu, forte enim si illius facta fuisset, mentio, non prius iurasset, quam sufficientem eius notitiam fuisset consecutus. Quin imo cum hic agamus de 37 personis quæ præsumuntur iura ignorare, potius contraria inde oritur præsumptio, scilicet non præcessisse certiorationem illius iuris, quod ne quidem in contractu nominatum est. Posteriori autem casu quando in contractu 38 quibusdam iuribus nominatim renunciatum, & huic renunciati adiectum iuramentum, tum ex hoc iuramento nascitur præsumtio, præcessisse certiorationem. Cum nemo videatur, nisi deliberato animo iurasse, sed potius omnia prius expendisse accurate, antequam iurisiurandi religione se adstringi patiatur, cum sciat agi hic de quibusdam iuribus & beneficiis amittendis, quod in priori casu forte potuit ignorasse.

Sed dixeris, quid tandem interest inter hæc duo, et 39 iam in iurata renunciatiione requiri certiorationem, & tamen iuramentum operari præsumtionem factæ certiorationis, annon res eodem recidit? Verum non conueniunt hæc, sed diuersissimum effectum produciunt. Est enim ea præsumtionum natura, ut aliquod argumentum quidem faciant pro veritate facti, sed tantum probabile, &

& quod contraria probatione infringi potest, hinc præsumtionem cedere veritati communis Doctorum sententia est Roland. a Valle *l. 1. conf. 99. n. 11.* Card. Tusch. *Pract. conclus. tom. 6. lit. P. conclus. 612.* Steph. Gratian. *discept. forens. tom. 5. cap. 832. n. 15.* Carpz. *p. 2. C. 2. d. 8. num. 2. seqq.*

42 Quod si ergo vel maxime v. g. mulier renunciauerit iurato S^Cto Velleiano, illa tamen probare posset nunquam sibi factam esse certiorationem, & iurato asserere vellet se non intellexisse vim S^Cti, & si intellexisset nunquam se iuraturam fuisse, patet inde inuvalidam esse istam renunciationem, mulieremque contra eam restituendam. Contra vero si dicamus, plane non opus esse certioratione, in renunciatione iurata, hæc provalida habenda, nec admitenda erit probatio in contrarium. Nam quæ probata non releuant ad probandum merito non admittuntur.

44 Postquam ergo hæ duæ quæstiones separatæ & ad singulas responsum, nunc eo facilius satis fieri poterit rationibus in contrarium adductis, quas supra *n. 4.* recensui. Nam quoad (1) utique concedo, iuramentum habere vim expressi & specialis consensus, sed tantum in iis negotiis, quæ a iurante intelliguntur, quia consensus intellectum præsupponit, & sic qui non intelligit rem propositam, non potest dici in eandem expresse & specificè consensisse. Quin potius ex errore præstitum dici debet iuramentum, errantis autem nullus consensus & sic nec per errorem iurantis. Hinc & (2) largior maior deliberatione ad iurandum quam ad renunciandum accedi, verum eo ipso conceditur deliberatione ad iurandum opus esse, ast deliberatio præsupponit scientiam illius rei quæ in deliberationem venit. Scientia iuris autem, in eo qui ius ignorat, prærequirit certiorationem. Si vero dixeris præsumi deliberationem præcessisse, tum hoc pertinet ad quæstionem posteriorio-

steriorem, & a nobis iam concessum est; verum exinde non sequitur, ergo non est necessaria certioratio. Quod 46 tandem (3) ad fictiones legum attinet, non sunt illæ fingendæ nisi expressis legibus nitantur quæ hic deficient; Deinde vero fictiones legum nihil aliud sunt quam præsumptiones, sed ita per hanc rationem tantum probatur, præsumi iurantem scire ea quæ in iure consistunt, quam præsumptionem non negavi, sed de illa nunc quæstio non est. Neque (4) aduersatur, quod iurans videatur in ge- 47 nere cogitasse de amouendis omnibus auxiliis iuris quibus posset actus impugnari, nam non quærimus de eo quod videtur, seu præsumitur, vti supra distinximus, sed de eo quod re vera est. Si obiicias, imo renuncians dum voluit vt actus valeret, cogitavit in genere de remouendo omni obstaculo; respondeo: non potest dici aliquem in genere cogitasse, qui non potuit cogitasse in specie. Fateor sufficere illud in eo qui cognitionem iurium habet, vel habere debet, sed hic agimus de iis personis qui iura nec scire tenentur, de quibus sine absurditatis nota dici non potest quod in genere de omnibus beneficiis sibi concessis, sed incognitis, cogitauerit. Quod vero additur (5) 48 iuramentum porrigi etiam ad ignorata de iure, id verum est de eo qui iura intelligit vel intelligere tenetur, sed falsum est de eo qui ius ignorat, & cui illud ignorare leges permittunt. Instas forte, sibi imputare debere eum qui iuravit non intelligens iura; rehero, imo sibi non imputare tenetur, qui ignorat illa, quæ leges ignorat permittunt, alter vero, in cuius gratiam facta iurata renunciatio, si ob non adhibitam certiorationem actus rescindatur, & ita ille damnus sentiat, sibi potius imputet, quod omiserit certiorationem, damnus enim sua culpa sentit. Similis farinae 49 est,

F

est, quæ (6) ex iure canonico affertur ratio in contrarium, est enim omnino seruandum iuramentum quod sine dispendio salutis seruari potest, si modo rite præstitum: sed rite præstitum non est, quod sine iudicio præstitum, vt hoc casu, ceu supra n. 24. seqq. dictum est: iudicium vero tanquam comitem iuramenti perpetuum exigit idem ius canonicum c. 26. X. de iureiur. Sed hæc de necessitate certiorationis etiam in renunciationibus iuratis dixisse sufficiat, nunc ad alia progrediendum.

- 50 Non possum silentio præterire illum casum, cuius mentionem facit Illustr. Dn. Stryk. in *Traët. de Cout. contr. Sect. 2. c. 1. §. 40.* Debitor creditori suo chartam blancam transmittit, cum addito: *Er möchte auf beykommendes Blanquet die Obligation so scharff aufsetzen als er immer wolle:* creditor vero, incio debitore, facultatem arrestandi debitorem in quocunque loco obligationi inserit; quaeritur an valeat? Rectissime respondetur in *d. 11.* negando, quia verba generalia debitoris ad casus, qui specialissima voluntatis declaratione egent, non extendenda. Quid ergo consilii hac ratione supererit creditori, si per concessam facultatem arrestandi sibi omnium optime consultum esse existimet? Sane nihil aliud, quam vt certio-
 51 rem faciat debitorem, se, nisi hæc clausula obligationi inseratur, securum non esse, nec se pecuniam alias credere posse.
- 52 Antequam actus inter viuos dimittam, examinanda adhuc est sententia Gallerati, qui *d. c. 10. n. 15.* asserit, certioratione opus non esse, quando renunciatio fieri debet de conscientia legis. Equidem non vacat nunc examinare illam locutionem, qua dicit aliquid fieri debere *de conscientia legis:* incommodam & impropriam eam esse, facile vnusquisque animaduertet. Quicquid sit, constat hanc
 53 esse

esse eius mentem, in renunciatione, quæ autoritate legis fieri debet, non necessariam esse certiorationem. Verum 54 non possum hanc probare sententiam, etiamsi enim lex aliquo casu exigat renunciationem, non tamen eo ipso excludit præuiam certiorationem, quia potius præsupponit: quia renunciationis ea natura est, vt necessario præcedere debeat scientia illius cui renunciamus. Cum vero rationes nullas adiiciat Galleratus examinari illæ non possunt. Exemplum vero adiicit ex *Aurb. Matræ & Auæ* 55 *C. quando mulier tutelæ officio*, vbi dicitur matrem & auam in tutelæ officio omnibus agnatis præferendam, sed teneri eam secundis nuptiis & S^Cti Velleiani beneficio renunciare: hinc, quia legum auctoritate hæc renunciatio exigitur, putat, certiorationem non exigi. Verum, vt ad 56 hoc respondeam, primo illud concedo, in renunciatione secundarum nuptiarum, nam quid hæc sint mulieres facile intelligunt, vt sic non opus sit certioratione, quia certioratus non amplius certiorandus: sed de renunciatione 57 S^Cti Velleiani idem nego, (1) quia leges non prohibent certiorationem, (2) quia electio permittitur matri & auæ, an tutelam suscipere cum hac renunciatione velint, an omittere; oportet ergo vt intelligant quale sit illud S^Cti Velleiani beneficium, quia alias deliberare nequeunt, an illi renunciare, an vero tutelam omittere velint.

Nunc ad vltimas voluntates progredior, vbi non hæc 58 reo circa dispositionem iuris nostri, qua transactio super testamento inita non subsistit, nisi inspectis prius tabulis testamenti, & ita præuia certioratione; Vid. Gallerat. *d. c. 10. n. 12.* Est enim hæc certioratio non iuris, sed facti, inde ad nostrum scopum non pertinet: Sed id tantum hic 59 breuissimis subiicio, maximum vsum habere certioratio-

nem, imo & necessariam esse, in pactis successoris, maxime vero in renunciatione hereditatis; cum enim forma huius renunciationis in consensu renunciantis consistat, utpote sine quo illa omnino inualida est. Hahn. *de Iur. rerum Conclus. 84. num. 17.* facile exinde constat certiorationem iurium quæ simul renunciari debent, præcedere debere, quia hac deficiente consensus, qui intellectum præsupponit, non potest adesse. Vbi in genere facile consentientes quis inueniet Doctores. De eo vero disputatur, an etiam opus sit certioratione in renunciatione iurata filiae, siquidem iure Canonico, ut iurato fiat, dispositum. *Cap. Quomuis 2. d. Pact. in 6.* plerique negant, quia in iuramento deliberatus animus præsupponitur, & ad omnia illa extenditur, de quibus in genere cogitari potuit. Ioh. Dauth. *adde Cap. Quomuis n. 73 & 75.* Hahn. *d. conclus 84. n. 14.* Kellenb. *d. Renunciat. qu. 4.* Gallerat. *de Renunciat. T. 2. Cent. 1. Renunciat. 58.* Aliique. Ast putamus hoc etiam casu certiorationem requiri, nec enim potest iuramento suppleri defectus consensus IC. Marpurg. *Vol. 2. Conf. 29. n. 109.* nec potest quis dici de eo in genere cogitasse, quod omnino sibi competere ignorauit. Cum ergo supra probatum sit, iuramentum non excludere necessitatem certiorationis, idem quoque hoc casu obtinebit licet enim *d. Cap. Quomuis* non mentionem faciat certiorationis, sufficit tamen quod eandem quoque non excludat. Inde hoc casu nobiscum consentiunt ICri Marpurg. *d. Conf. 29. n. 110. seqq.* Breul. *de Renunciat. Caus. 3. c. 8. n. 36.*

63 Muscul. *de Success. Conuention. memb. 2. n. 371. seqq.* Quid vero dicendum de testamento litterarum imperiti, an valebit clausula Codicillaris a Notario adiecta, si testator de

64 vi huius clausulæ non prius fuerit certioratus? Valebit

utique, voluit enim testator, ut testamentum conderetur quod valere possit omni meliori modo. Cum ergo finem voluerit, censetur etiam voluisse media ad illum finem ducentia. Vid. Dn. Stryk. *Diss. de Iure Analphabetorum cap. 4. n. 35. seq.* Verum cum hic casus non in specie ad renunciationem iurium pertineat, ulterius hæc proficere necesse non est.

CAP. IV.

DE

PROBATIONE CERTIORATIONIS.

CONSPECTVS.

- | | |
|---------------------------------------|---------------------------------------|
| <i>Magnum onus est probatio n. 1.</i> | <i>Ad rationes dissentientium re-</i> |
| <i>Hinc videndum cui incumbat</i> | <i>sponderetur. 13. 14.</i> |
| <i>probatio factæ certioratio-</i> | <i>Quomodo non factam esse cer-</i> |
| <i>nis. 2.</i> | <i>tiorationem probari pos-</i> |
| <i>Præsumptio deuoluit onus</i> | <i>sit. 15.</i> |
| <i>probandi in aduersarium.</i> | <i>(1) per iuramentum, si testes</i> |
| <i>3.</i> | <i>deficiant. 16.</i> |
| <i>Certioratio vero non præsu-</i> | <i>(2) ut examinetur Notarius</i> |
| <i>mitur, ergo ab allegante</i> | <i>an ipse iura intellexe-</i> |
| <i>probanda. 4.</i> | <i>rit. 17.</i> |
| <i>Rationes huius sententiæ. 5.</i> | <i>Notarii ut plurimum non in-</i> |
| <i>Ad dubia responderetur. 6.</i> | <i>telligunt vim clausularum.</i> |
| <i>7. 8.</i> | <i>18.</i> |
| <i>Non probatur certioratio, si</i> | <i>Hinc non potuit ab iis, hoc</i> |
| <i>dicatur in instrumento,</i> | <i>casu, facta esse certiora-</i> |
| <i>eam factam esse. 9. 10.</i> | <i>rio. 19.</i> |
| <i>Præsumptio tamen inde ori-</i> | <i>Dissentientibus responderetur,</i> |
| <i>tur. 11. 12.</i> | <i>remissive 20.</i> |

<i>Per iuramentum non probatur certioratio.</i> 21.	<i>certioratio iis inferatur.</i> 23. 24. 25.
<i>Præsumptio tamen ex iuramento nascitur.</i> 22.	<i>Alia cautela, ut testes adhibeantur.</i> 26.
<i>Cautela, ut renunciatio fiat verbis germanicis, & cer-</i>	<i>Et eius mentio fiat in instrumento.</i> 27. 28.

1 **N**on exigui momenti res est, cui incumbat probatio in iudicio, ideo enim probatio onus dicitur atque inter beneficia iuris refertur & commoda quæ possessori concessa, quod liber sit ab onere probandi, quæ vna ex causis est, cur beati dicantur possidentes. Hinc etiam est, quod exceptio non numeratæ pecuniæ privilegiata dicatur, scilicet, quia onus probandi devoluit in aduersarium, cum alias reus suas exceptiones ipse probare debeat. 2 Ut alia nunc exempla taceam. Cum itaque hactenus necessitas certiorationis in materia de renunciationibus satis demonstrata, pariter quibus personis & in quibus iuribus adhibenda sit, subiectum; nunc e re est dispicere, cui incumbat onus probandi, factam vel omissam esse certiorationem?

3 Quod ut eo accuratius demonstretur, videndum primo quid præsumendum sit, siquidem inter Doctores expedita res est, in eo virtutem præsumptionis consistere, ut devoluat onus probandi in aduersarium, etiamsi vnica tantum sit præsumptio. Hippol. de Marfil. in Rubr. C. de probat. n. 326. Alciatus de præsumpt. Reg. 3. præf. 1. num. 4. Cephal. Conf. 304. n. 217. Carpzou. l. 5. Resp. 71. n. 10. Conueniunt autem in eo Doctores, certiorationem non præsumi, sed eam ab allegante probandam esse, Mascardus de Probat. Vol. 1. concl. 283. n. 1. Card. Tusch. Pract. Conclus. Vol. 1. lit. C.

lit. C. concl. 198. n. 10. 11. Menoch. l. 3. præsumpt. 82. num. 7. Galleratus de renunciat. T. 1. l. 3. cap. 10. n. 11. & ab his citati. Neque Doctorum rationes obscuræ esse possunt; communiter autem duas adferunt: (1) quia certioratio facti est, facta autem non præsumuntur, sed ab allegante probanda: (2) quia certioratio est solennitas externa & sic probanda. Quibus addo (3) quia personæ certiorandæ habent pro se præsumtionem, quod ius ignorent, & (4) qui præsumitur illud quod se ita habet ordine & cursu naturali, uti Doctores ex *cap. 10. X. de præsumpt.* colligunt; sed secundum ordinem naturæ eiusmodi personæ, quibus necessaria est certioratio, iura ignorare solent, ergo in illis præsumitur ignorantia, non certioratio. Unde simul 6 corrui fundamentum illorum, qui dissentiunt, quos citat Galleratus *cit. loc.* quod scilicet pro omni instrumento sit præsumtio solennitatis, cum ergo certioratio secundum Doctores sit solennitas, ista quoque videtur, præsumenda. Verum, ut nunc non disquiram, an satis accurate a 7 Doctoribus certioratio sit solennitas, illud tantum addo, etiam si pro instrumento militet præsumptio solennitatis, & ita factæ certiorationis, attamen illa præsumptio, quæ hæ personæ, de quibus hic agimus, ius ignorare præsumuntur, longe fortior est, cum & leges hanc ignorantiam permittant, & secundum ordinarium naturæ cursum ab his personis iura ignorari soleant; sed notissima Doctorum regula est, præsumptionem fortiorem vincere illam, quæ debilior est. Nec obstat porro, renunciantem se fundare in omiſſa certioratione, adeoque ab hoc omiſſionem probandam esse; nam facile quilibet perspicit, hanc asserptionem omiſſæ certiorationis esse negativam, & sic, per notissima iura, devolui onus probandi in aduersarium, cum
nega-

negatiuæ per rerum naturam nulla sit probatio *L. 10. C. de N. N. P.*

- 9 Cum itaque is, in cuius gratiam ab ignorante renunciatum, probare teneatur, factam esse certiorationem, videndum porro quibus modis commode probatio fieri possit. Et primo quidem considerandum, an non sufficiat, si in instrumento vel obligatione dictum, quod præcesserit certioratio. Vbi communiter hanc formulam inserunt; Nachdem sie dieser ihr zustehenden rechtlichen Wohlthaten genugsam erinnert, und ihr dieselben deutlich erkläret; 10 vel: wohl wissentlich und wohl erinnert. Verum conveniunt in eo Doctores, quod hoc ipso certioratio nondum sufficienter probetur. Galleratus *de tr. T. 2. cent. 1. Renunc. 62. n. 19.* Illustr. Dn. Stryk. *de Caut. Contract. Sect. 1. cap. 5. §. 7.* Quorum ratio manifesta est, maxime si praxin respiciamus, solent enim communiter illæ clausulæ magis de consuetudine adiici, & ceteroquin partes minus solliciti esse, an res etiam reuera ita se habeat an secus. Gail. *l. 2. obs. 77. n. 6.*
- 11 Vtut autem per hanc confessionem in instrumento factam non probetur plene certioratio, id tamen existimo patere, nasci contra renunciantem præsumptionem, quod accesserit certioratio, idque ideo, quia notissimi iuris est, quod pro omni instrumento militet præsumptio veritatis, vt, si quid in instrumento actum dicatur, videatur re vera 12 actum *§. vlt. Inst. de Fideiuss.* Quod si insuper illud instrumentum a Notario confectum, alia adhuc accedit præsumptio, qua quilibet officio suo rite functus præsumitur, cum 13 præsumptio iuris in delicti exclusiua. Quamuis enim multi Doctores hic in contrarium abeant, inter quos Galleratus *d. Renunciat. 62. n. 19.* & alii ab eo citati, tamen hæc sententia non iniqua modo, sed & nullis rationibus solidis subni-

subnixa. Nam palmaria ratio, quæ ab ipsis affertur, scilicet quod illo casu Notarius attestari videatur de his, quæ ab eo geruntur, non autem de his, quæ coram eo geruntur, non facit ad rem; sit enim ita, adhuc tamen pro Notario, cuius officium publicum est, præsumptio militat, quod nihil attestaturus sit, tanquam a se gestum, si non reuera gestum fuerit. Vt adeo recte contrarium defendant cum aliis Hering. *de Fideiussor. c. 7. n. 481. seqq.* add. Finckelth. *Obs. 119. n. 16. 17.* Seraphin. *de priuil. iuram. pr. 63. num. 17.*

Cum ergo hoc casu adsit præsumptio, factam esse certiorationem, illi, qui eam non adhibitam esse asserit, probatio contrarii incumbet, Hering. *d. l. num. 484.* Vbi nunc progrediendum vltius dispiciendumque, quomodo contrarium probari possit? Id vero duplici modo fieri posse existimo, primo per iuramentum, ad quod hac in parte merito admittendus (1) quia in negatiua se fundat asserens non esse factam certiorationem, vbi per testes vix est vt probatio haberi possit; nisi in instrumento dictum, eo tempore, quo omnes fuerunt præsentibus & confectum instrumentum, factam esse certiorationem, sic enim testes, qui actui præsentibus fuerunt, examinari poterunt, an audierint certiorationem, (2) quia omnis ille, qui præsumptionibus grauat, ad iuramentum purgatorium admittitur, vt, in defectu alterius probationis, hac ratione se purget a præsumptione, quæ contra eum militat. Deinde aliud adhuc remedium concedunt Dd. contra hanc renunciationem; vt scilicet, si Notarius asseruerit in instrumento a se factam certiorationem, curetur, Notarium a iudice examinari, an etiam ipse intelligat iura illa, quæ aliis se explicasse fassus est. Et hanc cautelam perpetuo mentem tenendam

- nendam dicit Hippol. *in repet. rubr. ff. de fideiussor. n. 38.*
- 18 Norunt enim Notarii clausulas, sed vim earum multi ignorant, sunt *similes picis & psittacis, qui stant in palatiis domitorum, & nesciunt quid loquuntur*, ut Doctores loqui amant, qui iam suo tempore experti sunt, *Notarios ut plurimum ignorare vim clausularum ac esse instar Cantorum, qui bene cantant per practicam, & nesciunt rationem sui cantus.* Ceu has locutiones refert Hering. *d. l. num. 487. seq.*
- 19 Quod si ergo quæsitus Notarius ipse ignoret illa iura, satis probatum erit, non fuisse adhibitam certiorationem; nec enim potest dici Notarium explicasse partibus iura illis competentia, si ipse eadem non intelligat. Dn. Stryk. *de tr. Sect. II. Cap. 6. §. 3. in fin.* Gail. *l. 2. obs. 77. n. 7.* Licet enim non desint, qui existimant, adhuc tamen præsumendam esse certiorationem, etiamsi Notarius postea fateatur, se illa iura ignorare. Addatur Galleratus *d. Renunciat. 62. n. 19. in med.* satisfecit tamen eorum dubiis sufficienter Hering. *d. l. n. 490. seqq.* Quæ omnia hic repetere ratio instituti non permittit.
- 21 Porro inter probationes factæ certiorationis recensent Doctores iuramentum quod accessit renunciationi, sed cum hoc nitatur falsa hypothese, quod in iurata renunciatione non opus sit certioratione, sed iuramentum loco illius sit, illa vero sententia a nobis reiecta, & satis, ni fallor, contrarium probatum sit. *Cap. 3. n. 13. seqq.* facile inde constat, nullam ex tali iuramento probationem desumi posse.
- 22 Verum quia tamen *ibid. n. 38. 39.* concessimus ex iurata renunciatione nasci præsumptionem factæ certiorationis, etiam in materia probationis eum effectum habet, ut onus probandi contrarium, scilicet omissam esse certiorationem, in alterum transferat.

Cum itaque nec per confessionem factæ certioratio- 23
nis satis probetur certioratio, quæritur quo pacto tandem
probari possit? Optima cautela est, quam commendat 24
Dn. Stryk. *d. tr. Sect. I. Cap. V. §. 7.* vt si cum personis iuri-
um vel latinæ linguæ ignaris negotium sit, omittantur la-
tinæ exceptionum renunciationes, & germanicæ substitu-
antur e. gr. si fideiussor renunciet exceptioni excussionis
& diuisionis: *Ich begeben mich hiemit der Rechts-Wohlthat,*
so da will daß ein Bürge vor dem Principal Schuldner nicht
fönnen belanget werden: Ingleichen, daß ein Bürge nur sei-
nen Strang (Theil) und nicht die ganze Schuld zahlen dürf-
fe. Et ita porro in aliis renunciationibus. Ita enim non 25
potest excipi de non facta certioratione, quia hæc in ipsis
verbis latet, quæ satis intelligere potuit renuncians; vt sic
habeat quod sibi imputare debeat, si verba non satis ex-
penderit, sed inconsiderate contractum subscripserit.

Omnium optima vero cautela est, & quæ disputa- 26
tionibus nullis subiacer, quam commendat Dn. Stryk. *ibid.*
& Sect. II. cap. 6. §. 3. vt certiorationi duo adhibeantur te-
stes, quibus postea plenissime illa probari potest. Quo & 27
pertinet cautela Gallerati quam *d. Renunc. 62. n. 19.* tradit,
vt v. g. mulier certioretur a iudice, vel a parte in præsen-
tia Notarii & testibus, & deinde ita scribatur in instrumen-
to: *Quæ mulier certiorata per D. iudicem, vel per N. nempe*
auxilium Velleiani succurrere mulieribus pro alio se obligan-
tibus, & promittentibus renunciauit Velleiano SCto. Ita e 28
nim certioratio facta ipsis instrumenti verbis, & Notarius
non testatur de suo facto, sed de alieno, quod coram ipso
peractum sit, vt hac ratione illud instrumentum plenam
vim probandi habere possit.

C A P. V.

DE

EFFECTV OMISSÆ CERTIORATIONIS.

C O N S P E C T V S.

<i>Omissa certioratione inualida est renunciatio. n. 1. 2.</i>	<i>Omissa certioratione datur actio contra Notarium. 12. 13.</i>
<i>Hinc iure renunciato uti potest non certioratus. 3.</i>	<i>Item contra partem alteram. 14. 15.</i>
<i>Exemplis declaratur. 4.</i>	<i>Item contra iudicem, si in iudicio facta renunciatio. 16. 17.</i>
<i>An exceptio non factæ certiorationis admittatur in Processu executiuo? 5.</i>	<i>Subiicitur limitatio generalis. 18. 19.</i>
<i>Rationes pro affirmatiua. 6.</i>	<i>Conclusio totius dissertationis. 20.</i>
<i>Negatiua defenditur. 7.</i>	
<i>Sed limitatur. 8. 9.</i>	
<i>Inter ius Saxonicum & Commune distinguitur. 10. 11.</i>	

1 **S**uperest ut nunc paucissimis dicatur, quid iuris sit, si
 2 omissa fuerit certioratio; ubi primo quidem ex illis,
 quæ supra dicta sunt constabit, inualidam esse renun-
 3 ciationem sine certioratione ab ignorante factam. Cum
 enim necessitatis sit certioratio, utique quod ea omissa sus-
 cipitur consistere non potest: aut dicendum esset, certio-
 rationem ad cautelas abundantes esse referendam, quod
 tamen absurdum est. Si ergo omissa certioratio primus
 sese hic exerit effectus, quod renunciatus iure suo libere uti
 possit. Hinc illa regula Doëtorum: *Ad iura renunciata non datur regressus*, inter alias limitationes etiam hanc,
 agno-

agnoscit, nisi ignorans iura & non certioratus renuncia-
uerit: tum enim, quia inualida est renunciatio, ad iura re-
nunciata regressus utrique dabitur. Ita si mulier SCto 4
Velleiano, filiusfam. Macedoniano, minor beneficio resti-
tutionis in integrum, fideiussor exceptioni ordinis & diui-
sionis, & alii aliis iuribus renunciauerint, ignorantes quæ-
nam sint illa iura nec certiorati, tum si ab alio conuenian-
tur adhuc suis iuribus utuntur, non obstante renuncia-
tione.

Quæ cum ita sint, nunc porro videndum, an, si ex in- 5
strumento, in quo facta renunciatio, executiue agatur, hæc
exceptio omissæ certiorationis impedire executionem pos-
sit? Ita videri posset ex rationibus antea allatis: Si enim 6
renunciatio nulla, & sic ad iura renunciata datur regres-
sus, utrique non poterit executio fieri ex tali instrumento,
sic v. gr. si mulier renunciauit SCto Velleiano non certio-
rata, creditor autem executiue agat, poterit mulier statim
opponere exceptionem SCti Velleiani, quod si creditor re-
plicabit, huic beneficio esse renunciatum, ille duplicabit,
renunciationem nulliter factam, ob omissam certioratio-
nem. Ut ita existimari posset, hanc exceptionem omissæ
certiorationis etiam in ipsa executione opponi posse. Ve 7
rum non puto hanc exceptionem ad remorandam execu-
tionem validam esse, est enim utique res altioris indaginis,
vtrum certioratio facta sit, & sic potius ad reconuentio-
nem reiicienda. Sed hoc ita si in instrumento dicatur cer- 8
tiorationem factam esse, ac ita actor præsumptionem pro se
habeat, quod si enim ille renunciauerit, qui iura ignorare
præsumitur, ut mulier, & in instrumento nec certioratio-
nis mentio facta, nec iuramentum accesserit, tum ipsum in-
strumentum tamdiu inualidum est, vsque dum actor pro-

- bauerit, factam esse certiorationem: & sic ipsa quoque executio eo usque suspendenda. Neque enim instrumentum posset dici plene recognitum, si mulier recognoscat manum, sed neget contenta, dum dicit se nunquam scienter suo beneficio renunciasset, aut recognitionem ita fieri debere, ut ille tenor instrumenti quia allegatur etiam recognoscatur, fatetur Carpzou. *Process. tit. 14. art. 2. num. 61.*
- 10 Quod si vero ex instrumento præsumptionem pro se habeat actor, ut nunc illa iuramento Rei elidi debeat, tum sane in foris Saxonis non sistitur executio, quia exceptiones quæ in executione opponi possunt vel confessione vel instrumentis liquidis probari debent Carpz. *P. I. C. def. 5. num. 2.* Neque obstat in Processu executiuo tantum admitti posse exceptionem solutionis & compensationis, hoc enim falsum esse, & alias quoque exceptiones admitti debere, probavit Carpz. *P. I. Const. 8. d. 17.* Aliud si de iure communi res decidenda, hoc enim exceptiones in executione admittuntur quæ iuramento rei probantur, quia iuramentum moram non exigit, & sic probatio æquæ facilis est quam per instrumenta. Id quod etiam in hoc Ducatu Magdeburgico obseruatur *Ord. Magdeb. c. 47. §. 11.*
- 12 Porro ex omissa certioratione secundum communem doctorum sententiam, etiam hic effectus oritur, quod Notarius teneatur parti ad interesse Gail. *d. obs. 77. num. 7.* Berlich. *P. 2. Concl. 19. n. 84.* Card. Tusch. *Pract. Concl. T. I. lit. C. concl. 198. n. 7. in fin.* Vbi addit rationem, quod scilicet Notarius in dolo sit; quamuis hæc ratio sola non sit, sed illa potissimum, quod officio suo male functus indeque parti læsæ ad interesse teneatur, ex solo neglectu officii, etiam si dolose certiorationem non omiserit.
- 14 Neque tantum Notarius, sed & pars ipsa conueniri pote-

poterit, si forte negotium coram Notario non actum, & pars omiserit certiorationem; Cuius ratio est, quia (1) te- 14
nebatur ad faciendam certiorationem, sicut *Cap. 1. n. 29.* di-
ctum est, & (2) quia si illam omittit in dolo est, cum cela- 15
re Veritatem fit contra bonam fidem, & dolus non tantum
in faciendo, sed etiam in omittendo committi possit, vt phi-
losophatur *Tusch. c. l. n. 8.* add. *Gallerat. d. tr. T. I. l. 3. c. 10.*
- *num. 13.*

In iudicio si peragatur negotium, atque facienda sit 16
renunciatio, certiorationis necessitatem iudici incumbere
supra dictum est *cap. I. n. 23.* quod si ergo eam omiserit iu-
dex, quaeritur, annon laesus contra ipsum quoque actio-
nem, habeat? Id quod affirmandum omnino est ex modo
adductis rationibus. Sane si in officio suo peccauerit iu- 17
dex, non tantum poena publica dignus, sed & laeso ad in-
teresse tenetur, ne vti medicis impune occidere, ita illi im-
pune laedere liceat.

Vnicum addendum est, quod a Doctoribus quidem 18
taetum non reperi, sed summa tamen aequitate nititur, cu-
ius & in iure rationem habendam esse, notum est ex *L. 8.*
C. de iudic. scilicet, quando ita qui renunciauit, actum ex
hoc solo impugnare vult, quia omissa certioratio, tum sa-
ne haec necessario obseruanda est restrictio, modo aliquam
exinde laesionem probare possit, & renuncians, si de iure
suo fuisset, certioratus nunquam illi renunciaturus, fuisset,
quod vltimum vix aliter quam iuramento probari poterit.
Quod si enim per istam renunciationem laesum eum esse 19
nuspiam appareat, quin potius commoda ipsius non leui-
ter tum temporis fuerint promota, atque idem confiteri te-
neatur, se a renunciando non abstinuisse, fauore lucri quod
tum percepit, etiamsi de iure suo sufficientissime fuisset
certio;

certioratus; quis est qui non perspiciat in dolo versari eum, qui nunc ob omissam certiorationem negotium peractum impugnare cupit? iura nostra non decipientibus sed deceptis succurrunt, auxiliumque legum frustra inuocat, qui contra leges peccat *L. 37. ff. de Minor.*

- 20 Hæc sunt B. L. quæ pro ratione instituti & temporis, de vtilissima in praxi materia, in chartam conicere placuit. Fateor plura de his dici potuisse, sed non fuit otium omnia accuratissime pertractandi, interim ex iis quæ necessaria sunt, nihil omissum esse existimo, reliqua pro bonitate tua ipse suppleas. DEO interim optimo maximo, pro concessis viribus, gratias persoluo immortales.

F I N I S .









